

Universitätsbibliothek Wuppertal

De M. Valerio Probo Berytio

Aistermann, Josef

Bonnae, 1910

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-3032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-3032)



Handwritten signature

Feb. 1926

US Wuppertal



10 QVKP1500



DE M.

AD

The first of
the
the
the
the

DE M. VALERIO PROBO BERYTIO

CAPITA QVATTVOR
ACCEDIT RELIQVIARVM CONLECTIO

SCRIPSIT
IOSEF AISTERMANN

Dieses Buch stammt aus der
Bibliothek Günther Jachmann
Notizen und Randbemerkungen
dürfen nicht verändert oder
entfernt werden!



dubl. zu I. 4883

BONNAE
IN AEDIBVS FRIDERICI COHEN
MCMX

84 5123

DE M. VALERIO PROBO BERYTIO

ACCEDIT RELIGIARVM COLLECTIO

IOSEF HISTERMANN



Standort: ~~W 10~~ 04
 Signatur: ~~GVKP 1589~~
 Akz.-Nr.: 85/1574 ZZWX
 Id.-Nr.: W4750291 65354

Dieses Buch ist Eigentum der Universitätsbibliothek Wuppertal. Die Haftung für Verlust oder Beschädigung des Buches ist dem Lesenden zu übertragen.

BONNEN
IN AEDIVS FRIDERICVS
MONT

84. 21373

CONSPECTVS DISPVTATIONIS

PRAEFATIO p. V—VIII.

CAPVT PRIMVM: DE M. VALERII PROBI VITA ET SCRIPTIS 5—84.

De Suetonio uitae Valerii Probi scriptore 1—28 num centuriatum petiuerit Probus 1 de ueterum scriptorum memoria Romae abolita 5 de Probi studio ueterum 8 de libris recensitis 9 de notis criticis 10 de notis Probianis 10 quomodo comparatae fuerint recensiones Probi 14 de Probi studiis grammaticis 15 de grammatica Latina 17 de rhetoribus et grammaticis Graecis 21 de grammaticis Latinis 22 de rhetoribus Latinis 23 quid Suetonius senserit de partibus grammaticae 27 de commentariis Probianis a discipulis editis 28 de Martialis epigrammate 30 de aetate qua fuerit Valerius Probus 31 quos scriptores recensuerit Probus 33—57 quae recensionum existent uestigia: de recensione Terentii 33—39 de adnotationibus ad *ὀγκρισίῳ* Terentii et Graecorum pertinentibus 34 de codicibus Terentianis qui ex recensione Probi pendere uideantur 37 de recensione Vergilii 39—42 quid reliquum sit 39 de recensione Horatii 42 Lucretii 43 de Sallustio 43 de Plauto 44 de Persii recensione 45 de uitae Persii auctore quae sententiae prolatae sint 45 de uitae Persii forma 47 de Valerii Probi genere dicendi 49 de uitae Persii additamentis 54 de Persii uitae auctore 55 iudicium de Probo 57 de Valerii Probi uita Vergiliana 70 de commento in Vergilium 72 de Aemilii Aspri temporibus 75 de auctoritate nominis Probi commentario inscripti 77 de commentariis quos scripserit Probus de notis 81 de scriptis grammaticis 81.

CAPVT ALTERVM: DE PROBO QVINTILIANI (I 4, 7—12) AVCTORE p. 85—103.

De Quintiliani de litteris disputatione 85 de Quintiliani auctore 96 de duplicis i scribendi usu 98 quid Probus praeceperit 99 de Valerii Probi studiis prosodiacis cum orthographicis coniunctis 100 quomodo amplificata sit doctrina Probi a Caesellio Vindice 101 de Prisciano GL II 14, 3 K 101 qui grammatici Probi doctrinam secuti sint 102 de ceteris quae apud Quintilianum Probo auctore relata sunt 103.

CAPVT TERTIVM: DE TERENCE SCAVRO (GL VII 19, 14 K) 104—114.

EPIMETRVM: QVID PRIMI SAECVLI GRAMMATICI LATINI PRAE-
CEPERINT DE SCRIPTVRIS VO ET VV p. 105—114.

VO in VV, abiisse etiam in uulgari sermone 106 de simplici V perscripta in nominibus in -VVS desinentibus 107 quae fuerit publica scribendi consue-

tudo 111 qua ratione grammatici scripturam VO commendauerint 111 de Claudii imperatoris digammo 113 quomodo grammatici sibi persuaserint VV scribi posse salua ratione 113.

CAPVT QVARTVM: DE PROBO GELLII AVCTORE p. 115—156.

RELIQVIARVM CONSPECTVS p. I—LIII.

1. TESTIMONIA VITAE p. I—III SCRIPTORVM III—V.

2. FRAGMENTA

A. ad auctores

I. ad Sallustium p. V.

II. ad Vergilium p. V.

III. ex Vergilii recensione adnotationibusque p. IX—XIV.

IV. ex Terentii recensione adnotationibusque p. XIV—XVII.

V. Vita A. Persii Flacci de commentario Probi Valerii sublata p. XVII.

B. ad grammaticam

I. de orthographia de mensura syllabarum de accentu p. XVIII—XX.

II. de originatione uerborum de significatione de aspiratione p. XXI—XXIII.

III. de ea quae dicitur *εἰρηονία* p. XXIII—XXVI.

IV. de declinatione de deminutiuis de dubiis generibus p. XXVI—XXX.

V. de comparatione p. XXX.

VI. de uerbo p. XXX—XLIX.

A. de temporibus uerborum p. XXX—XXXIII.

B. de significationibus siue generibus uerborum p. XXXIV—XXXVII.

C. de diuersa uerborum positione p. XXXVII—XXXVIII.

D. de speciebus uerborum p. XXXVIII—XLII.

E. de impersonalibus de participio p. XLII—XLIII.

F. de coniugatione de perfecto p. XLIII—XLIX.

VII. de ordinatione dictionum p. XLIX—L.

VIII. de proprio sermone Latino consuetudini uulgari opposito p. L.

IX. de usu uerborum p. LI—LII,

DVBIA p. LII.

APPENDIX p. LIII—LXII.

INDICES p. LXIII—LXXIV.

PRAEFATIO

Haec quaestionum Probianarum capita scripsit reliquiasque Berytii collegit scriptor, dum Bonnae uersatur Almae Matris alumnus, seminarii philologorum sodalis. Iam a schola magistrisque deuertens hanc dissertationem, quam amplissimus philosophorum ordo praemio exornauit, edidit signum pietatis.

Eo maxime scriptor intendit, ut conlata omni M. Valerii Probi memoria aetatem, qua fuisset ille, definiret rationemque Berytii et scriptorum Latinorum interpretis et grammaticae disciplinae magistri inlustraret describeretque. Neque tamen quo est pondere et ambitu hoc munus absoluit, sed instituit tantummodo. Iam concisis uerbis exponet quid profecisse sibi uideatur, quid restet.

Atque interpretandi officio quomodo M. Valerius Probus functus esset cognoscebatur exemplis ex adnotationibus ad Terentium Vergiliumque conlatis disciplinae Graeca comparata. Dein iudicium prolatum est de Probo, cum perpenderet quam rationem secutus esset grammaticus in recensendis interpretandis existimandis scriptoribus. Probi igitur Berytii aetate accuratius definita, disciplinae eruditionisque complexu circumscripto, interpretandi, existimandi, generis dicendi proprietatibus cognitis iam munitiore uia insistet qui de uestigiis Probi in scholiis ad Persium obuiis et de adnotationibus ad Iuuenalis carmina nomine Probi insignitis acturus est.

Quod ad studia grammatica Probi attinet, Quintilianum et Terentium Scaurum hic illic auctoritate Probi nisos esse uel placita eius retulisse euinci posse uidebatur. Quae Gellius adsumpsisset ex M. Valerii Probi commentariis quorum multos se inspexisse professus est, deinceps disputatum est. In Charisii thesauro et maxime in ea, quam Diomedes conscripsit artem, qui Probi Berytii doctrinam conlecturus est, uestigia Henrici Keil

sequatur oportebit. Atque feliciter cuiquam uelim succedat ut argumentis probauerit id quod Otto Ribbeck coniecit, caput septimum Nonii de contrariis generibus uerborum secundum Probum conscriptum esse. De Prisciani ratione ac fontibus, de institutionum grammaticarum compositione nuper strenue inuestigauerunt Regimontani quorum libri suo loco laudati sunt in hac dissertatione. Inter fragmenta Probi siue certa siue dubia recepti sunt praeter ea quae ipse Priscianus se ex Institutis uel Catholicis cepisse professus est (quorum in numero est sententia p. 301, 14 de uocatio uocum Graecarum et illa p. 213, 22 de pronomine 'alius' prolata quae conferenda est cum iis quae p. 283, 9 exhibentur) omnes loci quibus Probi nomen adscriptum legitur. Qua in re feci, non quod contendam sed quod sentiam. Etenim, ne argumenta taceam quae ut ita sentirem me induxerunt, Ludouicus Ieep (Philol. 66 [1907] p. 12 sqq.; 68 [1909] p. 1 sqq.) in omnem Prisciani operis naturam indagans ostendit grammaticum non tam sua eruditione suoque iudicio in explicanda arte usum esse, sed auctores quos sibi sumpsisset compilasse inconsiderata ratione. Atque qui ita uolumina conficere non uerentur scriptores inertes, indigesta referre solent, quae hinc illinc adsumpserunt, ac paene integra. Ita quoque neminem fugerit locos, quos Priscianus auctoritate Probi insignitos uoluit, fere cunctos, siue dispositionem respicias siue argumentum, describi posse in duas praecipue comprehensiones, referri eos dico aut ad quaestionem de dubiis generibus aut de dubio perfecto; ita ut, unum auctorem his in rebus cum laudauerit Priscianus, natura suadeat ut unum auctorem accipiamus: atque meminerimus laudari re uera a Prisciano Probi commentarios de dubiis generibus et de dubio perfecto, quos ad Berytium referendos esse consentiunt plerique. Neque prudenter quisquam talem complexum diuellat, praeformata opinione ductus qua quaecumque apud Priscianum exhibeantur similiter in scriptis Pseudoprobianis adumbrata, haec utique a Berytio remouenda esse arbitretur. Nam praeterquam quod non uno loco ea quae certe Berytii doctrinam repetunt tam arte coniuncta sunt iis quae iuniori Probo uindicari solent, ut quem unum laudat fontem ipse scriptor, bipertitum esse uix concesseris nisi inuictis argumentis coactus, non solum haec argumenta desunt, sed alia sunt quae obstant. Nam plura plerumque, exempla praecipue ueterum scriptorum, proponit Priscianus quam quae in Catholicis aut Institutis leguntur, neque censendus est Priscianus haec ex suis

copiis addidisse (cf. iudicium quod de eo tulit Ieep, Philol. 66 p. 50 et 51). Itaque ex consensu Prisciani et Catholicorum scriptoris concludi nequit hunc esse illius fontem, sed utrumque eundem fontem adisse recte senserit quispiam (cf. Keil GL IV p. XXX). Ideo cum Priscianus Probum laudet, ne plurium Proborum opinionem redintegremus, Berytium intellegere necesse est. Sane multi Priscianum Probi Berytii ipsa scripta consulere nequise dixerunt omnesque qui de Capro grammatico egerunt, inuicem hanc sententiam repetiuerunt. Necdum uero usquam talis sententiae ualidum argumentum lectum est, immo Ausonii testimonio constat, quarto p. Chr. saeculo in manibus professorum Burdigalensium uersatos fuisse commentarios Probi Berytii, cuius placita retulit ipse quoque ex eadem Gallia meridionali tum bonarum artium praesidio oriundus grammaticus Consentius a Prisciani temporibus non longe remotus.

In appendice conlati sunt qui loci in commentis in artem Donati non pauci inueniuntur nomine Probi insigniti. Qui singulari habendi sunt loco recteque in unitatem quandam comprehendendi posse uidentur ideo quod plerique alter ex altero pendent Probique nomen singulis sententiis adscriptum legitur iisdem apud diuersos grammaticos, ita ut eos inuicem se compilasse appareat; tum continua in istis commentis conspicua est ratio qua Donatus et Probus sibi opponantur alter alteri, cuius discriminis momentum in eo maxime uersabatur quod ille pueris magis idoneus, hic potius prouectioribus aptus uideretur. Quam sententiam de comparandis duobus magistris penitus mentibus grammaticorum tum temporis inhaesisse testimonia docent 13; 14; 15. Atque istorum, quos dixi locos Probi nomine ornatos in commentis illis obuios, nonnulli aperte repetunt doctrinam uerbaque in Institutis Catholicisque relata, alii (in appendice singulis fragmentis adnotati sunt grammaticorum loci conferendi) sententiam proferunt oppositam ei quae in scriptis Probi iunioris custodita legitur, alii ad Berytii doctrinam se referunt, alii denique sunt qui ipso eodemque nomine Probi ornati placita exhibent inter se discrepantia. Quos ideo ne reiciat caueat prudens inuestigator. Sic enim manifeste agnoscitur condicio commentariorum Berytii, qui non ab ipso magistro conscripti sed a discipulis ad lectiones excepti erant, ita ut facile oreretur controuersia dixissetne talia magister necne: cuius condicionis praeclara testimonia sunt capita Gelliana XV 30 et III 1. Itaque qui illos locos in commentis istis inculcatos expediuerit singulos-

que suo restituerit auctori, non mediocris usus operam praestiterit.

Denique sicuti Probum carminum interpretem utique secundum praecepta disciplinae Graecae suam rationem iudiciumque conformanisse cognitum est, ita non falsus erit qui in inlustranda ratione grammatica lucem petiturus est a Graecae artis ratione. Neque enim, ut exemplo utar, sui ingenii subtilitate ductus ceteris grammaticis, qui deponentem figuram uerbi quod est tondeor commendarent, officiebat (Seru. ad Aen. I 194) actiuamque naturam uerbi defendebat: siquidem ex Graecorum magistrorum exemplo id fecisse uidetur qui docuerant *ἀντιπεπονθότα δέ ἐστιν ἐν τοῖς ἰππίοις, ἃ ἕπτα ὄντα ἐνεργήματα [δέ] ἐστιν, οἷον „κείρεται“. ἐμπεριέχει γὰρ ἑαυτὸν ὁ κειρόμενος* (Diog. Laërt. VII 64 = Stoic. uet. fragm. uol. II 183 p. 59 Arnim).

Sed enim, recte quaesiuert quispiam, cum tam dubio adhuc statu uersetur omnis haec de M. Valerii Probi Berytii auctoritate doctrinaque quaestio, quid sibi uult haec fragmentorum conlectio praematurum quodam ac intempestiuo partu edita? Quam diutius retinere noluit scriptor forasque dedit non tamquam perfectam absolutamque, sed ut fundamentum sit quo nisus uerum aedificium exstruat sedulus fabricator, sitque congeries, unde materiam sumat quam in formam disponat artetque. Atque singulis laterculis perpensis facile hunc uel illum reiciat prudens artifex, alios hinc illinc eligere maluerit.

Ex uariis lectionibus codicum emendationibusque posteriorum subiecta sunt singulis fragmentis quae sufficere uidebantur; adscripti sunt suis locis numeri qui ad paginas disputationis Iulii Steup reuocent.

Restat dulce officium: ut Friderico Marx Antonio Elter Hygino Funaioli qui plagulas legere non lassi libellum in uulgus exiturum emedantes castigantes prosecuti sunt, gratias agam maximas.

Mense Martio MCMX.

CAPVT PRIMVM: DE M. VALERII PROBI VITA
ET SCRIPTIS.

Primo saeculo post principatum Romae ab Augusto institutum circumacto C. Suetonius Tranquillus memoriam collegit uirorum quos Romana gens protulisset in litteris illustres. De professoribus disserens qui inde a grammaticae exordiis clari Romae exstitissent, nouissimum posuit M. Valerium Probum Berytium. Cuius uitae rerumque Suetonius testis est grauissimus, qui aetate proximus illius curiose uitam conscripserit. Duo potissimum sunt quae in hoc grammatico peculiaria tradidit Suetonius et a reliquorum grammaticorum usu discreta, quorum alterum est studium ueterum ab eo restitutum, alterum docendi genus.

De Suetonio
vitae Valerii
Probi scri-
ptore

Natus est M. Valerius Probus Beryti, quod oppidum bellicis calamitatibus dirutum a Romanis restauratum et quo coloniam deductam esse testatur Eusebius (Chron. ed. Schoene II 142) ad annum 15. a. Chr. n. Eodem anno duarum ibi legionum ueteranos ab Agrippa conlocatos esse tradit Strabo XVI 735. Hoc oppidum amplissimis aedificiis exornauerunt Herodes Magnus et successores (Ios. bell. Iud. I 21, 11), ibidem Titus imperator Iudaeis deuictis Hierosolymisque captis ludos edidit magnificentissimos (l. s. VII 3, 1). His igitur temporibus quibus Colonia Iulia Augusta Felix Berytus — haec enim integra legitur denominatio in titulis (CIL III 161. 165. 166. 6041) — maxime florebat nominis Romani in terra Graeca tamquam praesidium, natus est M. Valerius Probus. Nomen plenum hominem Romanae originis indicat neque nisi Romanus erat, centuriatum petere potuit. (cf. A. v. Domaszewski, Die Rangordnung des römischen Heeres, Bonner Jahrbücher 117 (1908) p. 83). Quapropter si rem ipsam consideraueris, improbable non uidetur Probum familia militari ortum primum ad munera militaria adspirasse. Tamen ueritati obstare uidetur hominem non ita humili loco natum — id quod concludere licet ex silentio Suetonii qui diligenter in scribendis uitis suo loco adnotat generis humilitatem — neque mediocri censu praeditum, quippe qui schola se non sustentarit, qui rara scriptorum

Num centu-
riatum peti-
uerit Probus

exempla undique contraxerit¹⁾, centuriatum petiuisse idque diu. Nam cum centuriones creari solerent e gregariis militibus (Liu. III 69, 8; Tacit. ab exc. Aug. I 44), militi uero sedecim uel uiginti stipendia facienda essent, cumque praeterea Probus diu centuriatum petiuisse perhibeatur ita ut ultra tempus solitum sub uexillo mansisse putandus sit, negandum uidetur fieri potuisse ut his uiginti annis sub armis peractis studia grammatica eo successu repetiuerit, ut eruditissimus ille euaserit quem tota antiquitas celebrauit uno consensu. Accedit quod librorum fides dubia esse uidetur, cum in Neapolitano 'centuriam petit' legatur, in Vaticano 'centuriatum petit', ita ut Iulius Steup (de Probis grammaticis, Jena 1871 p. 2) 'uigintiuratum' recte legendum esse sibi persuaserit; cui assensus est Bernardus Kuebler (De M. Valerii Probi Berytii commentariis Vergilianis, diss. Berol. 1881 p. 2). Tamen codex Vindobonensis, de cuius praestanti auctoritate disseruit Maximilianus Ihm in Mus. Rhen. uol. LXI (1906) p. 543 sqq. 'centuriatum' integre exhibet²⁾, ita ut de uocabulo recte tradito dubitari nequeat.

At centurionis nullumne erat munus apud Romanos nisi illud militare? Immo collegia plerumque diuidebantur in centurias uel decurias ad instar discriptionum militarium; quorum testimonia congesta sunt ab Hectore de Ruggiero (Dizionario epigrafico II 1 (1900) p. 188). Atque talium collegiorum principales nominabantur 'patroni', 'quaestores', 'magistri', 'optiones', 'tribuni', 'decuriones', denique 'centuriones' (in titulo Mediolanensi CIL V 5738). Tamen de huiusmodi centuria agi in Suetoniana uita minime est probabile ideo quod desideratur denominatio quaedam significans uelut fabrorum, baxiariorum, centonariorum, scalariorum similia³⁾. Centuriatum igitur cum dicat Suetonius omni

1) de pretio librorum cf. Th. Birt, Die Buchrolle Lips. 1907 p. 27 sq.

2) sicuti Maximilianus Ihm comiter litteris mecum communicauit.

3) Non plane intellegitur quid significet titulus CIL III 139 repertus in Balbeck in moenibus in turri: *KENTYRIA IIPIMA*. Alium praeterea titulum non remoueris primo obtutu ab hac disquisitione quae est de grammatico centurionatum petenti, titulum dico CIL X 3969 'Auruncus era[t] Fu[r]ius erat nomine / magister ludi litterari Philocalus / . . . eius ossa nunc hic sita sunt, posita a centuris'; ubi adnotata leguntur ab editore: 'quaenam centuriae titulum ludi magistro posuerint ut ignoramus, ita in collegiis quoque centurionatum locum habere constat'. Tamen certe ad Probi condicionem declarandam hic titulus non pertinet; etenim centuriatum petiuit Berytius, antequam ad studia se contulit. Ruggiero (l. s. s. p. 188) de collegio funerarium cogitauit.

designazione omitta, cogitandum est de ordine militari quem petierit Probus. Totam uero quaestionem qui fuisset modus petendi centuriatus et quae fuissent huius muneris uaria officia, nuper exposuit A. v. Domaszewski (l. s. p. 1 sqq.); qua in dissertatione demonstratum est centuriatum ordinem fuisse medium inter principales et militiam equestrem, ita tamen ut noui centuriones ex principalibus tantum crearentur¹⁾. Miles igitur omnibus muneribus principalium perfunctus cornicularius euadebat, quod munus aditum faciebat ad centuriatum (Domasz. 30). Ac saepius cornicularii suo tempore non promoti ordinem expectabant; quales sunt ii qui in titulis nominantur 'retentus' 'candidatus' 'petitor' (Domasz. 33)²⁾. Promouebantur autem ex suffragio legati ab ipso imperatore, cuius rei ex multis quae contulit Domaszewski, adponam hoc exemplum CIL VIII 217 . . . militauit annis . . . in leg(ione) III A[ug(usta)] librar(ius) tesser(arius) optio, signifer, factus ex suffragio leg(ati) [Aug(usti) (centurio)] militauit (centurio) leg(ionis) II Ital(icae)

An putandus est Probus grammaticus omnibus his perfunctus esse muneribus militiae inferioris, quorum integer legitur decursus in eo quem supra posui centurionis cuiusdam titulo? Orbilium quidem ita fecisse Suetonius auctor est (de gram. 6) qui illum in Macedonia corniculo mox equo³⁾ meruisse functumque militia studia repetuisse tradit. Sane non fuit ille grammaticus talis quo nemo praestantior esse possit, sed centurionis mores retinuisse uidetur, ut quem Horatius plagosum appellauerit. Neque tamen ita uilem censebimus grammaticum fuisse illum cui Horatii pater filium instruendum commendauerit et Beneuentani statuum posuerint. Id quoque obseruandum est, centuriones futuros omnino non in castris tantummodo et in expeditionibus corpus truisse animumque obduruisse, sed plerumque officio⁴⁾ adtributos praefecti uel legati, non raro in ipsa urbe Roma in officio praefectorum uigilum (Domasz. p. 8) uel praefecti urbi (p. 17) praefecti annonae (p. 67) in administrandis potius rebus occupatos

1) Eques Romanus si qui centuriatum occupabat, ordine remoueri solebat, cuius rei exempla ex titulis collegerunt Domaszewski p. 80 et Ruggiero p. 196 et Statius testis est cum dicat (silu. 5, 1, 94) 'Pandere quis centum ualeat frenare maniplo intermissus eques'.

2) praeter Domaszewski de 'petitoribus' amplius disputauit Mommsen, Staatsr. III p. 547 adn. 15.

3) conferatur Domasz. p. 31 adn. 2.

4) de officio "Stab" vd. Domasz. p. 73.

fuisse¹⁾. Atque tale quoddam fuisse crediderimus etiam munus Orbilii quoad stipendia faciebat, quippe qui antequam corniculo meruit, magistratibus apparituram fecerit.

Neque tamen absoluta esse uidetur quaestio, ita ut Probum quoque ita fecisse iam pro certo statuamus. Neque enim omnino eum stipendia meruisse Suetonius perhibet, cum eum centuriatum petiuisse tradat tantummodo. Atque petere solebant centuriatum illis temporibus iuvenes qui omnino militia non functi essent, ueluti ille quem Iuuenalis finxit XIV, 193; et poetam rem ex ueritate proposuisse, testimonio confirmatur Dionis Cassii (52, 25) qui aperte de centurionibus uerba fecit qui sine tirocinio ordinem obtinuissent. Idem probant scriptores uitae Hadriani 10 'nulli uitem nisi robusto et bonae famae daret', uitae Pertinacis 1, 4 'puer litteris elementariis et calculo imbutus datus etiam Graeco grammatico atque inde Sulpicio Apollinari, post quidem idem Pertinax grammaticen professus est. Sed cum in ea minus quaestus proficeret, per Lollianum Auitum, consularem uirum, patris patronum, ducendi ordinis dignitatem petit dein praefectus cohortis in Syriam profectus etqs.' Necnon conferenda sunt uerba P. Annii Flori (Vergilius orator an poeta p. 187, 3 Rossbach) 'scire te ergo nunc oportet, nullum maius praedium, nullam procurationem, nullum honorem decerni quantus sit nostrae professionis. Nempe si mihi maximus imperator uitem, id est centum homines regendos tradidisset, non mediocris honos habitus mihi uideretur.' Neque mirum est iuvenes illius aevi tamquam ruere in centuriatum quasi omnium diuitiarum spem atque promissionem; supra enim iam uidimus Pertinacem cum in grammaticae minus quaestus proficeret, centuriatum petiuisse. Neque aliter pater ille quem Iuuenalis finxit, filium exagitat ad petendum centuriatum ut 'locupletem aquilam illi sexagesimus annus adferat' (cf. Friedländer, Sittengesch. I⁶ 376). Etenim Augustum stipendium centurionum non mediocriter auxisse constat (Domasz. p. 111 et 193). Nam postquam milites legionarii non ex Italia tantummodo sed ex omni orbe terrarum conscribi coepti sunt, interesse salutis statusque rei publicae Romanae uidebatur imperatoribus, manipulis saltem praeesse principales Romanae stirpis. Qui ne deficerent, tamquam praemiorum loco centurionibus proponebantur diuitiae honoresque. Nam huc aperte pertinet illa quam Dio

1) confer quae de posterioribus temporibus exposuit A. Müller, Die Primipilares und der Pastus primipili, Philolog. LXVII (1908) p. 134 sqq.

Cassius 52, 25 narrat ordinis promotionem. Ita centuriatus condicio dignitasque non modo ipsa ab imperatoribus aucta est, sed ad summos in re publica honores dabat aditum; qua de re exquisitius egerunt Ioachim Marquardt, Röm. Staatsverwaltg. 1884² II 377, Mommsen, Röm. Staatsrecht 1887³ III 1, 547. His igitur pollicitationibus allecti qui ad centuriatum adspirabant iuuenes, militiae petitores uocari solebant. Atque Theodorus Mommsen adfirmavit illos militiae petitores ubique equites nominari in titulis. Quod si recte ille obseruauit, tamen quoad centuriae praeerant, equestris dignitas latebat (Friedländer l. s. p. 377) et hi sunt quos Staius (l. s.) uocauit 'intermissos equites'. Nam centuriatum, nisi tamquam exordium atque transitus erat ad ampliores dignitates, adeo equestris ordinis uiris interdictum fuisse supra uidimus (p. 3) ut qui eum occupaturi essent, omnino equestri dignitate se abdicarent, quales erant ii quorum nomina in titulis occurrunt addito 'ex equite' (Domasz. p. 80 adn. 7). Unde apparet recte quidem Theodorum Mommsen definiuisse condicionem eorum iuuenum qui centuriatum peterent eo consilio ut ordine perfuncti ad maiores ascenderent honores. At Probum equitem fuisse difficile sibi persuadebit qui ceterorum quos Suetonius attulit grammaticos, origines considerauerit¹⁾. Itaque Probi condicionem qui aperire uoluerit, aptissimo utetur exemplo eo iuvene quem Iuuenalis (l. s.) finxit centuriatum petentem, quem equitem fuisse neque poeta tradit neque omnino fuisse inde patet quod ultra centuriatus ordinem ad militiae equestris honores non transiturus supremum sibi ueluti praemium proposuerit primipilatus dignitatem. M. igitur Valerius Probus, spe et promissis centuriatus inuitatus, exempla adulescentium honeste natorum secutus, ordinem petiuit neque tamen ab imperatore promotus est; taedio depulsus ad studia se contulit. Quae cum Romae instituit, tum temporis ibi memoriam ueterum scriptorum abolitam fuisse Suetonius auctor est. Neque ita fuit Horatii temporibus qui priscos poetas auide lectos esse ab aequalibus testatur in epist. II 1, 53 'Naeuius in manibus non est et mentibus

De ueterum
scriptorum
memoria
Romae ab-
olita

1) c. 5 libertinus, 6 libertus in Gallia, 7 ingenuus sed expositus a nutritore manumissus, 8 natione Syrus, 9 morte parentum destitutus apparituram . . . fecit, 10 libertinus, 11 libertus ex Gallia, 12 libertus, 13 propter litterarum studium manumissus, 14 haesit Cn. Pompeio et C. Memmio, 15 libertus, 16 libertus, 17 libertinus, 18 ordinis libertini, 19 seruus redemptus manumissus, 20 libertus, 21 ingenuus sed expositus permansit in statu seruitutis, 22 pugilis, 23 mulieris uerna textrinus postea manumissus.

haeret paene recens? Adeo sanctum est uetus omne poema'. Sed res ita mutatae sunt, ut grammatici et rhetores dedita opera ueteres scriptores neglegerent novos praeponerent. Nam noui poetae Vergilio duce Horatio propugnatore (Eduardus Norden, Die antike Kunstprosa, Leipzig 1898 I p. 254 et adn.) ueteres loco submouerant neque quisquam iam eos legebat, primusque e ludis grammaticorum priscos relegauit Q. Caecilius Epirota (Suet. de gram. 16). Neque intra hoc constitit nouum saeculum ut ueteres obliuioni mandaret, sed impugnabat antiquitatem de-
debatque contemptui. Qua in uoluntate longe acerrimus existit L. Annaeus Seneca (cf. Iulius Steup p. 64 sqq.) qui Neronem puerum a cognitione ueterum oratorum auertit (Suet. Nero 52), quem Quintilianus (inst. or. X 1, 125) non omnino quidem conabatur excutere sed potioribus (i. e. ueteribus) praeferrere non sinebat 'quos ille non destiterat incessere'. Atque notum est ipsius Senecae iudicium de Cicerone Ennii laudatore quod seruauit Gellius XII 2, 8 'Non fuit Ciceronis hoc uitium sed temporis: necesse erat haec dici cum illa legerentur'. Cum rhetore iudicii similitudine coniunctus erat ex grammaticis Q. Remmius Palaemon qui ardentem partes capessebat poetarum nouorum, quorum principem Vergilium colebat quasi sui ipsius praeconem (Suet. gram. 23), quique adeo discedebat a ueterum studio ut Varronem porcum appellaret. Neque in schola ille ueteres scriptores discipulis praelegisse uidetur, siquidem Persius tum demum Lucilium legere coepit postquam a schola magistrisque deuertit. Atque tum fortasse recte de Palaemone qui primus *τέχνην* Latinam conscripsit, iudicabimus, cum nobis persuaserimus omnem illum nouorum poetarum noui sermonis cultum arte cum analogiae disciplina et Alexandrinorum nimia imitatione coniunctum fuisse et eodem contendisse. Contra horum uirorum iudicium atque uoluntatem existit ille grammaticus qui perinde ac Varro proportionis atque inaequalitatis disciplinas coniunxit, Valerium dico Probum, quem, si hanc rem spectes, recte Fridericus Leo (Plautinische Forschgen 1895 p. 27; griech.-röm. Biogr. 1901 p. 139) uindicem atque restitutorem grammaticae Varronianae appellauit.

Neque in cassum operam impendit Berytius; nimirum Quintilianus (inst. orat. I 8, 8) haec admonet: 'Multum autem ueteres etiam Latini conferunt, quamquam plerique plus ingenio quam arte ualuerunt¹⁾, in primis copiam uerborum quorum in tragoediis

1) cf. Ouid. am. I 15, 14 de Callimacho: 'quamuis ingenio non ualet, arte ualet'; trist. II 424 am. I 15, 19 comparat Spalding.

grauitas, in comoediis elegancia et quidam uelut ἀπικισμός inueniri potest . . . — . . . Sanctitas certe et, ut sic dicam, uirilitas ab iis petenda est quando nos in omnia deliciarum uitia dicendi quoque ratione defluximus'; quibus uerbis Quintilianum Senecae dicendi genus notauisse colligitur ex iis quae ille disputauit X 1, 125 sqq. Quae omnino prolata sunt a Fabio rhetore ex sententia Valerii Probi qui proprium atque incorruptum sermonem quo ueteres usi essent, ueram Latine dicendi normam esse iudicabat (cf. Gell. IV 7, Seru. ad Aen. XII 605). Nam re uera Quintilianum ¹⁾ ea quae attulimus de legendis ueterum scriptis, admonuisse cognita doctrina Valerii Probi et secundum iudicium Berytii, ut statuamus cogimur uerbis Suetonii, qui postquam tradidit Romae aliter atque in ludis grammatarum prouinciae ueteres non iam lectos esse primo p. Chr. n. saeculo medio, subiungit Probum acriter operam dedisse ut memoriam ueterum restitueret in scholis grammaticorum (nam Probum, quamuis animaduerneret ueteres libros sibi praelegenti nec gloriae nec fructui esse, nihilominus in proposito mansisse perhibet; quibus de uerbis conferas quae p. 20 disputata sunt). Anno autem 88 quo editus est liber III Martialis, Berytius Romae clarus litterarum iudex habebatur. Atqui si reperimus Quintilianum anno 96 ueterum scriptorum libros rursus in scholis praelegendos commendare, fieri non potest quin hoc Probi opera effectum esse affirmemus. Neque tamen ex bybliotheccis publicis ueteres remotos esse traditum est (cf. Tac. dial. 37) neque omnino ueterum libri euauerant ex scriniis eruditorum ueluti Plinii, qui anno 67 (C. Plinii Secundi libr. VIII dubii sermonis rel. coll. J. W. Beck, Lips. 1894 p. XIX) Seneca mortuo libros dubii sermonis edidit refertos memoria ueterum scriptorum. Et Persius postquam a schola magistrisque deuertit, incidit in Lucilii carmina quae professores ei non praelegerant; Plinius (epist. I 16, 3) Pompeium Saturninum laudat 'ueterum aemulum'; quid? quod Seneca ipse inridet (epist. 114, 13) 'multos' eos qui 'ex alieno saeculo petunt uerba, duodecim tabulas loquuntur. Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, Appium usque et ad Coruncanium redeunt'. Haec ut statuerentur non leuis momenti erat ad recte aestimandum Probum tamquam ueterum litterarum

1) cuius tamen temperatum iudicium agnoscitur XII 10, 40, qui omnino in illo ueterum et recentium certamine medium quandam cursum tenuit (E. Norden, Antike Kunstprosa I 256. 269) sicuti fecerant Seneca pater et Tacitus; cf. Augusti sententiam apud Suet. Aug. 86.

restitutorem, qua in re nimium ei posteritas et nostrum aeuum (cf. Frid. Leo, Plaut. Forschgen p. 28) tribuisse uidetur; nam apparet eum neque primum neque solum ueterum scriptorum libros ex communi obliuione repetuisse, sed eius operam intra hos terminos circumscriptam esse ut ueteres Latini nominis scriptores in publicis scholis restitueret praelegendos.

De Probi studio ueterum

Diligentius igitur repetiuit Probus libellos quos in provincia apud grammatistam legerat, plures deinde cognoscere cupiuit. Cum uero et aliis legendo eos notos faceret, contemptus est; neque tamen opprobria consilium eius fregerunt, sed abiecta spe gloriae spretoque fructu quem ingentem ex schola ceperat ille qui breui ante eum fuit Palaemon, cursum tenuit, ita tamen ut calamitate publicae scholae edoctus paucos tantum ad se admitteret tamquam discipulos quibus praelegeret. Operae sane pretium est ut quaeratur, quo tandem consilio ductus sit Valerius Probus ut adeo antiquorum scriptis studeret pronuntiaretque ex ueterum auctoritate, non ex recenti consuetudine regulam Latini sermonis repetendam esse; quae sententia omnino opposita erat ei doctrinae quae tum Romae uigebat a Plinio maxime custodita, utpote qui duas leges sermonis esse diceret proportionem et consuetudinem. Atque uiam demonstrat Suetonius ad initia studiorum nos reuocans Berytii. Nam magistellus ille Latinus qui Beryti¹⁾ in terra Graeca filios centurionum et mercatorum instituebat, Varronianae grammaticae, non nouae illius quae Romae aetate Augustea exstiterat Alexandrinorum omnino legibus adstricta, praecepta docebat puerisque ueteres poetas historicosque praelegebat tamquam uerae Latinitatis exempla. Porro, si recte totum caput Gell. XIII 21 ad Probum refertur, quo de argumento postea disseremus, alterum accedit testimonium quod rationis Probianae originem declarat. Nam quaestiuncula de dubio genere absoluta adnotationem subiecit auctor Gellii ex qua intelligitur eum secutum esse Homeri commentatorum praecepta. Atque notum est Aristarcheorum institutum quo *παρ' Ὀμήρω τὰ τοῦ Ἑλληνισμοῦ ἠκριβᾶσθαι* iudicabant (Apoll. de pron. p. 71, 25 Schneider-Uhlig; Lehrs, Arist.³ 353) et in declarando sermone Homerico recentiores scriptores (*τοὺς νεωτέρους*) amouebant tamquam non incorrupto genere dicendi usos (Lehrs p. 105 sqq. 299). Quam rationem Probum in recensendo Vergilio quem grammatici

1) Scholam grammaticam Beryti fuisse traditum non est. De scholis et bybliotheccis Antiochi et Tarsi institutis cf. John E. Sandys, A history of classical scholarship 1903 I p. 163.

Latini inde a Palaemone (cf. Fr. Schöll, Rh. M. 34 [1879] 631) Homero aequiparabant, transtulisse apparet, siquidem ad Aen. XII 605 adnotauit: „neotericum erat ‘flauos’, ergo bene ‘floros’.“ Neque diuersa erat sententia qua Vergilii locutionem defendens repudiata recentium consuetudine ueteres scriptores sanctissimos Latinitatis auctores esse pronuntiabat (cf. Gell. II 6, 6, qui Probi nomine oppresso non minus accurate quam Servius ad buc. VI 76 uerba interpretis descripsisse uidetur [cf. Rudolfus Reppe, de L. Annaeo Cornuto, Diss. Lips. 1906 p. 35]: ‘non igitur quia uolgo dici solet uexatum esse quem fumo aut uento aut pulvere, propter ea debet uis uera atque natura uerbi deperire quae a ueteribus qui proprie atque signate locuti sunt, ita ut decuit, conseruata est’). Atque interest uidere quos idoneos iudicauerit Berytius auctores. Neque enim sui saeculi neglexisse uidetur quemquam, cum Martialis eum finxerit seueri iudicii aequalium poetarum existimatorem. Tamen probasse ex primi saeculi poetis uidetur unum Persium, Neronis recentiumque poetarum oratorumque insectatorem. Sed Vergilium ab eo propositum esse Latini sermonis exemplum optimum supra docuimus (cf. praeterea Gell. XIII 21, 3), cum ex liberae rei publicae scriptoribus repudiaret fere neminem, praecipue uero probaret poetam illum uere Romanum, Naeuium dico, (Charis. GL I 198, 12 K; Prisc. GL II 242, 20 K), Atellanarum denique scriptorem Pomponium (Prisc. GL II 535, 20 K), nominis Romani uindicem praeclarum Catonem (Seru. ad buc. VI 76), Romanarum historiarum scriptores Valerium Antiatem et Q. Aelium Tuberonem (Gell. VI 9, 11)¹⁾, Sallustium denique et Ciceronem. Propertii Tibulli Ouidii quem Seneca (nat. quaest. III 27, 3) poetarum ingeniosissimum iudicauerat, nomina frustra quaeres apud Probum. Denique qui Berytii rationem declaraturus est, eam omnino similem fuisse docebit atque accommodatam ei rationi quae Graecorum grammaticos mouerat ut Atticos scriptores unicos iudicarent uerae Graecitatis auctores. (cf. Norden, Kunstprosa I 361; W. Kroll, Rh. M. LII [1897] 574 sqq.; Alfr. Klotz, Klassizismus u. Archaismus, Arch. f. l. Lexik. XV [1908] 401 sqq.)

Qui uero ueterum sermonem normam constiturus erat, necesse erat ne implicaretur dubitationibus cum nesciret quid dixissent ueteres; et omnis antiqui sermonis obseruatio futilis erat

De libris recensitis

1) de cuius genere dicendi cf. Pompon. Digest. I 2, 2, 46 ‘sermone antiquo usus affectauit scribere et ideo parum libri eius grati habentur’.

nisi uerba emendata erant. Ideo recensiones scriptorum ueterum curauit Probus quibus ueluti fundamento uteretur in tractanda ratione sermonis.

De notis criticis

In emendandis libris Probus Aristarchi instituta secutus notis criticis usus est, id quod constat testimonio codicis Parisini GL VII 533, 3 sqq. K: 'his solis in adnotationibus Ennii Lucilii et historicorum usi sunt Varro S. Ennius Aelius aequae et postremo Probus qui illas in Vergilio et Horatio et Lucretio apposuit, ut Homero Aristarchus'. Omnem hunc de notis tractatum Suetonio adscripserat Theodorum Bergk secutus Augustus Reifferscheid (Suet. p. 419), ex Suetonio uero Isidorum sua sumpsisse contenderat. Sed Paulus Weber (Quaestionum Suetonianarum capita duo, diss. Hal. 1903 p. 3) dubitauit an recte totum anecdotum Suetonio tribueretur, deinde (p. 7 sqq.) docuit, Isidorum non ipsum Suetonium adisse, sed inter episcopi Hispalensis expositionem et cod. Paris. tractatum uarios uariorum temporum commentarios intercessisse quorum stemma proposuit p. 24. Utcumque est, ea quam supra descripsi pars Suetonii temporibus procul dubio scripta est propter illud 'et postremo Probus', quibus uerbis recens ille antiquioribus oppositus est.

Atque ita comparata est enuntiatio uerborum, ut omnes Latini enumerati esse uideantur, et grammatici qui notis criticis usi sint et libri quibus eas adposuerint¹⁾. Quod si est, eo tempore quo haec de notis disquisitio scripta est, cognitae fuisse ex Probianis recensionibus tres tantummodo, Vergilii dico Horatii Lucretii, apparet. Tamen Terentii quoque fabulas eum recensuisse, huic rei testimonio est commentum Donati. Quae si recte disputata sunt, efficitur ut Terentium recensuerit Berytius post Vergilium Horatium Lucretium et scriptus sit hic de notis tractatus ante Terentii illam recensionem uiuo etiam tum Probo et ideo seiungendus sit a libro de grammaticis et rhetoribus post mortem Berytii scripto. Recte igitur Suidam, cuius testimonium Augustus Reifferscheid tollere studuit, singularem libellum Suetonii indicauisse apparet, cum tradiderit *ἔγραψε περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων βιβλίον α'*.

De notis Probianis

Aristarchi notae neque omnes neque omnibus temporibus eadem in usu erant neque quid significarent in promptu erat.

1) nam Lampadionem omnino notas adhibuisse traditum non est. Quod dicit Gellius XVIII 5, 11 'librum summae atque reuerendae uetustatis quem fere constabat Lampadionis manu emendatum', de notis nihil dicit, sed mendatuisse grammaticum perhibet.

Inde illius modi commentarii uelut Aristonici *περὶ σημείων Ἰλιάδος*, Diogenis siue Diogeniani (cf. Suidas s. v.) *περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων*, inde Dionysius Thrax Aristarchi signa in scholis suis interpretabatur (Schol. Venet. A ad O 86). Neque tamen omnino ad Aristarchi notandi genus Valerius Probus se retulit, sed nouis quibusdam usus est quas Aristarchus non adhibuerat. Nam hic septem usus est notis quae in unum conspectum congestae leguntur in nonnullis commentariolis Graecis epimetri loco adpositis ab Augusto Reifferscheid in rel. Suet. edit. p. 141 sqq. Sunt autem hae: *διπλῆ*, *διπλῆ περιεστιγμένη*, *ὄβελός*, *ἀστερίσκος*, *ἀστερίσκος μετὰ ὄβελου*, *ἀντίσιγμα*, *ἀντίσιγμα περιεστιγμένον*, cf. Pauly-Wissowa enc. II 866. Quae notae in cod. Paris. tractatu de XXI notis leguntur ea re insignes quod priorem commentarioli partem occupant, ornatae praeterea adnotatione ueluti 'sic Probus et nostri' ¹). Nam totius XXI notarum indicis aperte discernuntur duae partes quarum prior pertinet ad antisigmatis explicationem (140, 12 R), et ea re diversi sunt huius partis tituli a sequentibus quod multo ampliore declarantur explicatione. Altera pars incipit inde a coronidis explicatione (p. 140, 13 R). Intercidit in fine explicatio alogi, quam ab initio non defuisse ea re probatur, quod nomen alogi legitur (p. 138, 4 R) in indice toti commentariolo praeposito. Explicationes genere sunt multo concisiore, carent adnotatione qua Probum et Latinos iis usos esse perhibeatur. Tamen duae a Probo adhibitae esse uidentur quarum altera est auersa obelismene < 'quae in margine ponebatur si quae ad aliquid respicere uidebantur'. Quam notam recte inter Probianas referri inde colligitur quod exempli loco adscriptus est uersus Aeneidis X 88, neque praeter Berytium notas criticas in Vergilio apposuisse traditus est quisquam. Alogi nota Probum usum esse Seruius docet ad Aen. X 444.

Expositioni XXI notarum subiuncta legitur in codice Paris. altera quaedam comprehensio notarum, quas si excusseris, nonnullarum usum non ita differre animaduertes a notis Aristarchi; ueluti illud '→ bis dictum' idem fere valet atque (139, 2 R) ✂ quem Aristarchus ponebat ad eos uersus qui hoc puta loco

1) nam 'simplicis ductus' notam, quae in supra dictis indicibus graecis non enumerata est, et in cod. Parisino legitur non adiecta illa adnotatione de Probo et Latinis, falso notis Aristarcheis insertam esse apparet. De 'simplicis ductus' notula, cuius ratio omnino accommodata esset uncino illi a Iouiali adhibito in codice Bembino disseruit Robertus Kauer, Wien. Stud. XXII (1900) p. 59 adn.

(recte) positi erant cum aliis scilicet non recte ponerentur', tum illa '— repugnans' et illa 'H ☒ recte positus et pugnanti contrarius' non seiungenda sunt ab Aristarchi nota diples (p. 139, 19 '> diple . . usus est ea in multis Aristarchus nunc ea quae praeter consuetudinem tam vitae nostrae quam ipsius poetae apud eum invenirentur adnotans' = Anecd. Rom. p. 142 R διπλή παρατίθεται πρὸς τὰ ἐναντία καὶ μαχόμενα). Conferas praeterea '— praepositum sine consequenti — consequens sine praeposito' = (p. 140, 26 R) '≧≦ recta et auersa superne obelatae ponuntur cum eadem significant similemque sequentem esse'. In uniuersum autem si naturam illarum notarum perpenderit, eas pertinere intellegemus ad exercitationes rhetoricas. Nam de metaphrasi tamquam genere exercitationis conferas quae Fridericus Marx disputauit in Prolegomenis ad auct. ad Her. p. 117; ceteris uero notis apparet indicari illas e quibus argumenta promerentur tamquam sedes (τόπος) quas in progymnasmatis discipuli respiciebant unde omnis in utramque partem traheretur oratio. Etenim ut ingenia acuerent pueri, et aliis exercitationibus studebant et fabulis fidem firmare aut demere solebant quod genus ἀνασκευάς et κατασκευάς uocabant (Suet. de rhet. 1 p. 122, 4 R). Quae προγυμνάσματα quomodo instituerentur docuit Theon rhetor (II p. 76, 5 Spengel): ἀνασκευάσομεν δὲ καὶ κατασκευάσομεν τοῦτον τὸν τρόπον· ἐπεὶ γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ μυθοποιὸς ὁμολογεῖ καὶ ψευδῆ καὶ ἀδύνατα συγγράφειν, πιθανὰ δὲ καὶ ὠφέλιμα, ἀνασκευαστέον μὲν δεικνύσας ὅτι ἀπίθανα καὶ ἀσύμφορα λέγει, κατασκευαστέον δὲ ἐκ τῶν ἐναντίων· ταῦτα γὰρ ἐστὶ τὰ ἀνωτάτω κεφάλαια, εἰς ἃ τὰ κατὰ μέρος ἐμπέπτει, et infra 76, 14 ἔπειτα δὲ μεταβαίνειν ἐπὶ τὴν ἐπιχείρησιν καὶ ἀνασκευάζειν τῶν εἰρημένων ἕκαστον ἐν μέρει, ἀπὸ τῶν πρώτων ἀρξαμένους καὶ πρὸς ἕκαστον μέρος τοῦ μύθου ἐφ' ἕκαστον τόπον λόγων εὔπορεῖν πειρωμένους. ληπτέον δὲ τὰ ἐπιχειρήματα ἐκ τόπων τῶνδε· ἐκ τοῦ ἀσαφοῦς, ἐκ τοῦ ἀπίθανου, ἐκ τοῦ ἀπρεποῦς, ἐκ τοῦ ἔλλιποῦς, ἐκ τοῦ πλεονάζοντος, ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, ἐκ τοῦ ἀνομοίου, ἐκ τοῦ ψευδοῦς.' Quorum τόπων nonnulli aperte indicantur in notis illis de quibus quaerimus, ueluti M. ἀπρεπές = τὸ ἀπρεπές Theonis; Π contra historiam = τὸ ἀπίθανον Theonis (cf. in expositione sequenti p. 77, 14 Sp. τὸ δὲ ἀσυνήθές ἐστι τὸ παρὰ τὴν πεπιστευμένην ἱστορίαν); Θ supervacuum = τὸ πλεονάζον Theonis; — repugnans = τὸ μαχόμενον Theonis; — praepositum sine consequenti — consequens sine praeposito = Theonis p. 77, 20 (in explicatione τοῦ μαχομένου): τοῦτο δὲ χρηστέον οὐκ ἐν ἀρχῇ. ἀλλ' ὅταν τι τῶν μέσων ἢ τελευταίων

ἀνασκευάζωμεν, ἔπειτα καὶ ἐναντίον αὐτὸ δεικνύωμεν τοῖς προειρημένοις· ἀπὸ γε μὴν τῆς τάξεως ἐπιχειρήσομεν ἐλέγχοντες ἃ μὲν ἔδει πρῶτον ἐν τῷ μύθῳ ῥηθῆναι, οὐκ ἐν πρῶτοις ἀπηγγελμένα κτλ.

Quod si quaesiveris num Probus talibus notis usus sit, statim menti succurrit concisa illa quam Servius servauit adnotatio ad Aen. XI 554 ex ipsius procul dubio Probi exemplari transcripta: ἀπίθανον πλάσμα. Neque dubitationem moueat quod non de mytho quodam, sed de historia dictum sit, cum ipse Theon (p. 78, 12) praeceperit: οἱ δὲ αὐτοὶ τόποι χρήσιμοι καὶ πρὸς τὴν τῶν διηγημάτων ἀνασκευὴν τε καὶ κατασκευὴν. Atque fusius disserit περὶ τοῦ πιθανῆν εἶναι τὴν διήγησιν p. 84, 18 et exemplum proposuit p. 94, 12 παραδείγματος δὲ ἕνεκα ὁ λόγος ἡμῖν ἔσται ἐφ' ἑνὸς τόπου τοῦ ἀπιθάνου. Littera illa Π facile coniecero quispiam Π (λάσμα) significari. Deinde notas '·- repugnans ·- consequens sine proposito' recte aliquis conferat cum adnotatione schol. Veronens. ad Aen. IX 369: 'Hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse (Aen. VII, 600) 'Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas.' M nota qua τὸ ἀπρεπές significabatur, conferenda est cum Valerii Probi reprehensione Vergilii qua 'nequaquam conueniens' 1) poetam fecisse contendit (Gell. IX 9, 12 sqq.). Atque refert hac in re Theonis explicationem τοῦ ἀπρεποῦς repetere quam exposuit ille p. 76, 32: τὸ δὲ ἀπίθανόν ἐστι τὸ δυνατὸν μὲν γενέσθαι ἢ λελέχθαι, ἀπιστούμενον δὲ εἰ γέγονεν ἢ εἴρηται ἦτοι διὰ πρόσωπον ἐφ' ὃ ἡ πράξις ἢ ὁ λόγος ἀναφέρεται (Nausicaa ludibunda, Dido cultu atque incessu serio) ἢ διὰ τὸν τόπον ἐν ᾧ λέγεται γενέσθαι τι ἢ εἰρησθαι (Nausicaa in locis solis, Dido in urbe media; Diana inter agrestes deas, Dido inter Tyrios principes) ἢ διὰ τὸν χρόνον καθ' ὃν λέγεται τι γενέσθαι ἢ λελέχθαι ἢ διὰ τὸν τρόπον τῆς πράξεως ἢ τοῦ λόγου ἢ διὰ τὴν αἰτίαν τῶν αὐτῶν τούτων λεγόντων ἡμῶν ὅτι οὐκ εἰκός ἐστι τῷ τοιοῦτῳ τόδε τι πράξαι ἢ τόδε τι εἰπεῖν ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ ἢ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἢ τοῦτον τὸν τρόπον ἢ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν. ὁ αὐτὸς δὲ λόγος ἐστὶ καὶ περὶ τοῦ ἀπρεποῦς (cf. Gell. IX 9, 14: nihil eius similitudinis capere possit quae lusibus atque uenatibus Dianae congruat). Θ nota qua superuacuis uersus significabatur, con-

1) Isidor. R. L. p. 514, 6 H. 'Anasceuae prima divisio est in inconueniens et mendacium. Inconuenientis species sunt quod inhonestum est et quod inutile. Mendacium tres habet species: incredibile . . impossibile . . . contrarium' quibus cum uerbis conferendus est Hermog. prog. Sp. II 8, 30; 9, 2 sqq. (Iustinus Woehrer, de A. Cornelii Celsi rhetorica, diss. Vindob. VII [1903] p. 101 sqq.)

ferenda est cum adnotationibus Probi ad Aen. II 173; IV 418; I 21; cf. Ennii *annal.* 625 Vahl. et adnot. editoris.

Iam apparet, has notas 'simplices' quae uocantur, quodammodo coniunctas esse cum Valerii Probi adnotatione in Vergilio. Certum tamen iudicium, quae est anecdoti Parisini incerta et uexata condicio, pronuntiari posse non uidetur. Hoc uero subiungam, omnem hunc cod. Paris. de notis tractatum concludi uerbis his: 'de notis probianis EXPL. NOTE' (GL VII, 536, 23 K).

Quomodo
comparatae
fuerint recen-
siones Probi

Operam quam Probus impendit in tractandis scriptoribus Suetonius expressit tribus his uocabulis emendare distinguere adnotare. Atque diuersam sibi quisque finget Probianarum recensionum formam, prout senserit de significato uerbi quod est adnotare. Quod ad interpretandum Iulius Steup (p. 25—34) non mediocrem contulit curam Theodorique Mommsen sententiam secutus statuit (p. 34) adnotare apud Suetonium non esse adnotationes conscribere, sed notas criticas adponere. Quam in sententiam deductus erat ille non exiguae sane eruditionis et acuminis uir ea qua decipiebatur duorum Proborum opinione, ita ut ei illae adnotationes quae multae leguntur in commentis Seruii Donati Veronensibus Bernensibus, a Probo Berytio abiudicandae esse uiderentur. Quam opinionem de duobus Probis, altero Berytio Suetoniano altero Gelliano post W. Teuffel (*Rh. M.* 26 [1871] 488) a uero abesse demonstrauit Bernardus Kuebler in dissertatione Berolinensi de M. Val. Probi commentariis Vergilianis 1881 p. 1—10. Adnotare autem, ubi dictum est de Probi opera, idem ualere atque adnotationibus instruere textus scriptorum et maxime ad notas cur positae sint explicandas, eius rei exemplum aptissimum est commenti Seruiani adnotatio ad Aen. I 21: 'In Probi adpuncti sunt et adnotatum (adnotandum *cod., corr. Scioppius*): hi duo si eximantur etqs.' Aliae praeterea adnotationes quae recensionum Probianarum figuram quales fuerint illustrent, leguntur Seru. Aen. IV 418; IX 811; XII 605; Schol. Veron. Aen. IX 373; Don. Phorm. I 1, 15; Hec. prol. I 2, 3. Atque hanc quam intelleximus significationem adnotandi re uera ex usu sermonis et aevi Suetoniani esse, comprobatur uerbis Frontonis qui adnotationes libris quibusdam adscriptas amico legendas misit: (p. 160 Nab.) 'Ciceronianos emendatos et distinctos habebis; adnotatos a me leges ipse; in uolguis enim eos exire quare nolim, scribam diligentius.' Itaque hac quoque in re Berytius diuersus fuit ab Aristarcho qui ita non explicationes notis adiungebat ut earum uis posteris aperienda esset commen-

tariis conscriptis (cf. p. 11). Iam supra uidimus numero quoque atque genere notarum Probum ab Aristarcho secessisse.

Suetonius postquam Probum occupatum fuisse tradidit in emendandis distinguendis adnotandis scriptoribus, adiunxit huic soli nec ulli praeterea parti grammatices eum deditum fuisse. In explicandis his uerbis, qui de studiis Probi egerunt ita uersati sunt, ut testimonio hoc Suetonii freti studia Berytii angustioribus quibusdam circumscriberent terminis, cum eo potissimum contenderent ut commentarium in Vergilium quippe cuius ambitus et natura Probiana doctrinae non conueniret, Berytio abiudicarent. Veluti Iulius Steup, studia Valerii Probi definiens, pronuntiauit (p. 44) eum 'soli scriptorum emendationi neque lectioni carminum studuisse neque enarrationi neque iudicio'. Deinde Bernardus Kuebler (l. s. p. 4) saniore usus iudicio Suetoniana uerba dicta esse docuit non de scientia grammatica, sed de munere grammatici; omnia studia quae ad interpretandos scriptores pertinerent, coluisse Berytium, hac tantum in re munere grammatici neglecto quod non docuisset pueros tamquam magister; porro uerum uestigia premens Alexandri Riese qui de commentario Vergiliano disseruerat (Bonnae 1862), mythologicas philosophicas geographicas res eum respexisse negauit ideoque Vergilianos commentarios talibus potissimum argumentis refertos a Probo conscribi nequise affirmauit; cf. praeterea P. Wessner, Burs. Jahresber. 138 (1908) p. 153. Enimvero, ut ad Suetoniana uerba nos referamus, quae studia occupationesque Probi Suetonio innotuerant? Nouerat Suetonius recensiones, lectiones antiquas horis postmeridianis habitas, quaestiunculas editas, siluam observationum sermonis antiqui post mortem relictam: quae studia omnia ita parum inter se diuersa uisa sunt ut ea unius partis grammaticae nomine comprehendere scriptor non dubitauerit. Haec autem pars continebatur omni tractatione scriptorum, id quod recte iam docuit Kuebler; nam in ea uersabatur grammaticus cum scriptores emendaret, scriptores tractabat cum eos praelegeret horis postmeridianis, neque a tractatione scriptorum aliena esse poterat observatio sermonis antiqui. Pro hac autem grammaticae parte reliquas Berytium neglexisse Suetonius auctor est. Sed quaenam erant hae ceterae partes grammaticae? Atque praeclara est grammaticae definitio eiusque partium descriptio Dionysii Thracis p. 5 Uhlig¹⁾ (cf. Quint. inst. or. I 8, 13—19).

1) ubi conferenda sunt quae editor adnotauit, necnon quae Balduinus Heinicke disseruit de Quintiliani Sexti Asclepiadis arte grammatica, Strassburg 1904 p. 3 sq.

Videndum igitur num his partibus Probus suffecerit. Atque prima pars grammaticae posita est a Dionysio *ἀνάγνωσις ἐντριβής κατὰ προσφθίαν* (Quint. I 8, 13 'pedum proprietates') cui deditum fuisse Probum constat testimonio Gellii IV 7 'nisi tertia syllaba de Hannibalis nomine circumflexe promatur, numerus clausurus est', cf. Gell. VI 7, 3 'Itaque se audiente Probum grammaticum hos uersus in Plauti Cistellaria legisse dicit . . . causamque esse huic accentu dicebat' etqs. Dionysii altera pars est *ἐξήγησις κατὰ τοὺς ἐνπάρχοντας ποιητικούς τρόπους* (Quint. I 8, 16 'tropos') = Gell. III 1, 5 'Valerium Probum audiui hoc dicere: usum esse Sallustium circumlocutione quadam poetica'; cf. Breuis exposit. georg. I 224 ('translatio'); Seru. Aen. XI 830 ('hypallage'); Schol. Veron. Aen. II 173 ('epitheton'). Tertia Dionysii pars est *γλωσσῶν τε καὶ ἱστοριῶν πρόχειρος ἀπόδοσις* (Quint. I 8, 15 'glossemata' 18 'enarratio historiarum') = Don. Phorm. II 3, 25, 'male loqui pro male dicere, et quaerit Probus quis ante Terentium dixerit'; cf. Schol. Veron. Aen. IX 373 ('sublustris'); Seru. buc. VI 76 (uexare); Diomed. 364, 28 (manduco, edo); Diom. 365, 9 (praefoco); Don. Phorm. I 3, 3 (incogitans, cogitans). De historiis Probum quaesiuisset Macrobius testatur Saturn. V 22, 9: 'in hoc loco (georg. III 391) Valerius Probus uir perfectissimus notat nescire se hanc historiam siue fabulam quo referat auctore' cf. Seru. Aen. I 44. Originem uerborum, quod studium quarto loco posuit Dionysius (*τέταρτον ἐτυμολογίας εὔρεσις*) Probum aperuisse constat testimonio Donati ad Hec. prol. I 2, 3 'CALAMITAS *παρὰ τὴν καλὰμην* dicitur. clades quia clam datur, ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti aut doli mali. sic Probus.' *Ἀναλογίας ἐκλογισμὸν* quem Dionysius quintum posuit, Probum exercuisse qui omnino definitiones certasque leges sermonis esse noluit (Gell. XIII 21, 1) non exspectandum est; tamen si Quintiliani explicationem quae huc pertinet, consideraueris (I 8, 14): 'deprendat (grammaticus) quae barbara, quae impropria, quae contra legem loquendi sint posita', repetendae erunt Probi obseruationes uelut illa ad Aen. XI 566 'CAESPITE Probus ait: caespite *καταχρηστικῶς* (ita enim legendum uidetur cf. p. 66) pro campo, scilicet quod caespes glæba sit'; cf. Seru. Aen. VI 473 (pristinus, prior). Ultimam partem posuit Dionysius *κρίσιν ποιημάτων ὃ δὴ κάλλιστόν ἐστι πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ*, (Quint. I 8, 17 'praecipue uero illa infigat animis quae in oeconomia uirtus quae in decore rerum, quid personae cuique conuenerit' etqs.). Cui parti Probum non

defuisse testimonio est illa adnotatio Don. Phorm. V 9, 16: 'MI HOMO DI MELIVS DVINT quaerit Probus an matrona tam familiariter recte dicat alieno'. Egregium praeterea exemplum est existimatio illa Vergilii apud Gell. IX 9, 12 sq. ('nequaquam conueniens Vergilium fecisse'); cf. Seru. Aen. XI 554 (*ἀπίθανον πλάσμα*); Schol. Veron. Aen. IX 369 ('contrarium'); Martial. III 2 ('nec Probum timeto').

Quae si recte disputata sunt, intellegitur Probum et Dionysium de partibus grammaticae non dissensisse. Quamquam ratione qua quisque singulas partes tractaret, alter ab altero ita diuersus erat, ut Dionysius proportionis legem exquirendam esse uoluerit, ut inde abscisis enormitatibus deducerentur τὰ ἐπὶ τὸ πολὺ λεγόμενα, Probus uero non leges sermonis, sed sermonem ipsum obseruare sibi proposuerit. Unde apparet Probianam definitionem grammaticae eandem esse atque illam Dionysii, sed omisso illo 'ἐπὶ τὸ πολὺ'.

Quod si Probus omnes Dionysianae grammaticae partes coluit, quae tandem sunt illae quas eum neglexisse affirmauit Suetonius? An diuersa erat apud Romanos grammaticae uis atque appellatio? Atque Varro quidem omnino Dionysii definitionem transtulit, ueluti Marius Victorinus GL VI 4, 4 K (fr. 91 Wilm.) tradit: 'Ut Varroni placet, ars grammatica quae a nobis litteratura dicitur, scientia est (eorum) quae a poetis historicis oratoribusque dicuntur ex maiore parte' (ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ), necnon Diomedes GL I 426, 21 K (fr. 93 W): 'grammaticae officia, ut adserit Varro, constant in partibus quattuor: lectione enarratione emendatione iudicio'; cf. schol. Dionys. p. 115, 8 Hilg.: *μέρη δὲ τῆς γραμματικῆς εἰσι τέσσαρα ἀναγνωστικὸν διορθωτικὸν ἐξηγητικὸν κριτικὸν*. Ex quo intellegitur Varronem perinde ac Dionysium omne grammaticae studium intra tractandos scriptores conclusisse. Verum haec definitio non semper uiguit: neque enim mediocriter amplificata legitur apud Quintilianum I 4, 2: 'haec igitur professio cum breuissime in duas partes diuidatur, recte loquendi scientiam et poetarum enarrationem, plus habet in recessu quam fronte promittit'; cf. I 5, 1: 'emendate loquendi regula quae grammatices prior pars est', I 9, 1: 'Et finitae quidem sunt partes duae quas haec professio pollicetur, id est ratio loquendi et enarratio auctorum' ¹). Aperte

1) Atque ne quis hanc 'recte loquendi scientiam' dicat Dionysii quoque grammaticae partem fuisse eamque Dionysium significauisse, cum in partibus grammaticae afferret *ἀναλογίας ἐκλογισμόν*, cum analogia non aliud esset atque recte loquendi norma et regula (cf. Quint. I 6, 3), respondebimus aliud esse

igitur pronuntiat Quintilianus, praeter scriptorum enarrationem, intra quod studium Varro Dionysiusque grammaticam circumscripterant, necessariam esse alteram partem grammaticae, scientiam dico recte loquendi. Ex Latinis grammaticis hanc definitionem protulerunt Marius Victorinus GL VI 3,15—4,4 K et Diomedes qui scribendi quoque scientiam adiecit GL I 426, 15 K: 'grammaticae partes sunt duae, altera quae uocatur exegetice, altera horistice. exegetice est enarratiua, quae pertinet ad officia lectionis: horistice est finitiua, quae praecepta demonstrat, cuius species sunt hae, partes orationis uitia uirtutesque. tota autem grammatica consistit praecipue intellectu poetarum et scriptorum et historiarum prompta expositione et in recte loquendi scribendique ratione'. Quatenus apud Graecos mutatum illud quodammodo grammaticae nomen receptum esset quosque auctores Graecos Quintilianus qui primus inter Latinos hanc definitionem exhibet, secutus esset, hac de re Balduinus Heinicke l. s. p. 3 sqq. disputauit. Qui uero Latinae grammaticae propriam quandam conditionem rationemque declaraturus est, apte ad ipsa artis Latinae exordia se referet. Nam cum Romae inlata esset Graeca grammatica, duo ibi aperte distinguebantur uirorum genera qui ei operam darent, quorum alteri fuerunt 'L. Aelius Lanuvinus generique Aelii Ser. Clodius, uterque eques Romanus multique ac uarii' et in doctrina et in re publica usus' (Suet. de gram. 3), tum M. Terentius Varro tribunus plebis pro quaestore classis praefectus XXuir (Gram. Rom. fragm. ed. Funaioli, testim. 6—12) necnon P. Nigidius praetor et senator, illi denique 'clarissimi uiri' qui non 'abstinuerint quominus et ipsi aliquid de ea scriberent'. Alterum genus erant doctores illi, magistri ludorum, serui ad unum fere omnes uel liberti (cf. Suet. de gram. 3 et p. 5 adn.),

ex scriptorum usu testimonia colligere ex quibus proportionis lex comprobetur, aliud dedita opera de recte loquendi regulis disserere et praecepta tradere. Et recte scribendi porro scientiam, quam Diomedes (426, 15 sqq.) in simili grammaticae definitione addidit, Dionysius ita non ad grammaticam spectare iudicabat, ut, cum *τέχνην* conscriberet, ne mentionem quidem illius fecerit; cf. schol. Vatic. in Dionys. p. 114, 23 sqq. Hilg. Denique aliud esse unusquisque concedet proportionis obseruationes, si quae occurrant, interpretationi scriptorum tamquam partem subicere, aliud recte loquendi scribendique scientiam aequiparare scriptorum interpretationi quasi alteram grammaticae partem. Viros Romanos praeterea hanc diuersitatem non fugisse colligas ex iis quae Suetonius (de gram. 4) tradit uerba Cornelii Nepotis, qui litteratum id est 'qui aliquid diligenter et acute scienterque possit aut dicere aut scribere' distinxit a *γραμματικῶ* Graeco 'poetarum interprete'.

qui uel ipsi sibi susceperant uel ad id a patronis conducti erant munus, ut eam quam Romani paulatim utilem honestamque esse agnouissent Graecam disciplinam, pueris adolescentulisque traderent. Qua in bipertitione facile agnoscas eam quae a Graecorum ingenio caeli spatio distabat Romana indoles, qua turpe erat uiris Romanis docere quod honestum erat discere (Seneca controu. lib. II praef. 5), quo ex iudicio ea quoque profluxerunt quae leguntur apud Plinium in epist. IV 11, 1: 'nunc eo decidit ut rhetor de oratore fieret'.

Atque illi liberti et serui, qui perceptis liberalibus disciplinis perfecti atque idonei professores esse uidebantur, ob id 'litterati' appellari solebant teste Orbilio (Suet. de gram. 4), ut distinguerentur a litteratoribus¹⁾ id est mediocriter doctis. Sed mox ex consuetudine Graeca 'grammatici' uocari coepti sunt.

Atque Suetonius cum librum de grammaticis conscriberet, eorum quos supra dixi litteratorum ac clarissimorum uirorum, qui grammaticis studiis uacauissent, nomina quidem protulit in praefatione, in numerum uero grammaticorum Latinorum non nisi professores recepit (cf. Ioannes Vahlen, Opusc. Acad. I 1907 p. 46 sq.) atque Seuium Nicanorem tamquam primum grammaticum Latinum posuit qui primus docendo ad famam dignationemque uenit, ita ut appareat Suetonium censuisse munus docendi necessario cum Latini grammatici nomine coniunctum esse. Id quod tam uerum est, ut Varronis nomen, quem tamen *γραμματικόν* ex ratione Graeca dici nemo negauerit, in omni Suetonii libro ne legatur quidem nec magis Nigidius Figulus nominatus sit (cf. Cic. Tim. 1, 1 [testim. 10 Funaioli]: 'fuit enim uir ille cum ceteris artibus quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus'). Neque Plinium indicauit Suetonius esse grammaticum, cuius tamen nomen qui nostro aeuo de grammatica Latina scripturus sit, minime praeterire poterit. Quid inde? Apparet Valerium Probum, nisi professor fuisset, in libro Suetonii locum non habiturum fuisse. Suetonius ergo, qui eum intra numerum profes-

1) In has uero distinguendi subtilitates non descendebat uir Romanus, qui omnes quicumque docebant uel ludo praeerant, siue grammaticus insignis siue magistellus quidam siue seruus Graecus siue libertus Latinus erat, uno appellationis termino comprehendebat, litteratores eos appellans ea designatione qua ante grammaticam Graecam in urbem inlatam elementorum scribendi legendique institutores appellari soliti erant. Sicuti Messalla Coruinus Catonem litteratorem uocauit, eundem quem Suetonius (de gram. 4) 'poetam simul grammaticumque notissimum' appellauit (cf. Bibaculi uersiculos apud Suet. de gram. 11).

sorum receperit, uerbis illis 'nec ulli praeterea grammaticae parti deditus' certe non significauit, id quod Kuebler (p. 4) uoluit, eum munere docendi non functum esse. Accedit quod 'partem' grammaticae (μέρος τῆς γραμματικῆς) dixit, non 'officium' aut 'munus'; accedit quod discipulos Probi nominat Gellius IX 9, 12; accedit quod ipsa uerba Suetonii Probum professorem certe demonstrant. Etenim traditur Probus animaduertisse ueteres libros sibi nec gloriae nec fructui esse: gloriae autem ueteres libri cuiquam legenti esse non poterant nisi professori, sicuti Palaemonis ludi magistri nomen magna gloria celebrabatur. Neque enim aliquis ea quae de uita Probi a Suetonio perhibentur, recte interpretatus sit remotis ceterorum grammaticorum uitis aut maxime illo de Palaemone capite. Nam collatis illis quae Suetonius tradidit de gloria ingentique fructu quem ex schola cepisset Palaemon, facile tibi persuaseris in Probi quoque uita Suetonium, qui ubique de censu magistrorum mercedeque ex schola comparata sedulo commonere solet¹⁾, 'fructum' positurum fuisse tamquam mercedem e ludo partam. Et omnino quomodo dicere potuit Suetonius, Berytium animaduertisse ueteres libros legentibus non fructui esse, sed eum nihilominus in proposito mansisse? Quae uerba sensu carent, nisi intelleguntur de ludi magistro. Praeterea quae de opprobriis inlatis tradit Suetonius, ita interpretabimur ut collegas intellegamus ludi magistros Probo ueteres scriptores discipulis suis praelegenti obtrectantes. Nam non afuisse a grammaticis Latinis motus quosdam similitatis aemulationisque mutuae idem Suetonius commonet, qui Pompilium Andronicum, cum se in urbe non solum Antonio Gniphoni, sed ceteris etiam deterioribus postponi uideret, Cumas transiisse perhibet (c. 8; cf. c. 18 et 23).

Apparet igitur Probum, postquam ad studia se contulit, ludum aperuisse sicut reliqui grammatici Latini, neque tamen recentes poetas praelegisse, sed ueteres repetiuisse scriptores. Atque ob id molestiis uexatum adeo non eum munere professoris se abdicauisse tradit Suetonius, ut in proposito manserit.

Sed quid tandem, si omnibus quas Dionysius Thrax discipulis

1) c. 17 (Verrius Flaccus) 'centena sestertia in annum accepit'; c. 23 (Palaemon) 'quamquam ex schola quadringena annua caperet'; c. 7 (Antonius Gniphon) 'nec unquam de mercedibus pactus eoque plura ex liberalitate discentium consecutus'; c. 9 (Orbilius) 'docuitque maiore fama quam emolumento'; c. 11 'in summa pauperie'; c. 13 'gratis et sine mercede'; c. 15 'schola se sustentauit'; c. 20 'liberalitate sustentatum'.

partes grammaticae, Berytius operam dedit, si officio docendi functus est, quid tandem Suetonius significare uoluit cum diceret eum 'nulli praeterea parti grammatices deditum fuisse'? Atque uiam demonstrat idem Suetonius; nam pergit: 'non tam discipulos quam sectatores aliquot habuit', id est maturioris aetatis adulescentes, cum quibus cum uersaretur, ei magistri persona non sustinenda erat. Itaque non pueros, ueros illos ac proprios discipulos, sed paucos et tantum adulescentes ad se admittebat, sicuti fecerat Q. Caecilius Epirota (Suet. de gram. 16). Neque quod ita faciebat mirabimur; nam impatiens traditur fuisse laboris praeciendi persuadendique (Gell. XIII 21, 9). Iam affirmauerit quispiam: ergo *ἐξηγητικὴν* illam uel enarratiuam partem quam dixit Diomedes (l. s. s.), 'quae pertinet ad officia lectionis', retinuit Berytius, utpote qui cum sectatoribus 'legere quaedam' perhibeatur; ea autem quam neglexisse traditur partem, est illa *δρῶσικὴ*, uel finitiua 'quae praecepta demonstrat'. Quod qui dixerit, sane prope ad ueritatem accesserit. Necdum tamen omnem sententiam Suetonii aperuisse uidetur, siquidem Suetonius, cum dixerit 'soli huic nec ulli praeterea grammatices parti deditus', non de una parte quam neglexerit Berytius, sed de pluribus cogitauisse uidetur. Et re uera Quintilianus (I 9, 1), postquam duas grammatices partes, rationem loquendi et enarrationem auctorum, attulit, tamquam tertiam partem subiungit: 'adiciamus tamen eorum curae quaedam dicendi primordia, quibus aetates nondum rhetorem capientis instituant'. Accedit quod sub ipsis Quintiliani et Suetonii temporibus controuersia erat, utrum haec primordia tradenda partes essent grammaticae necne. Itaque ut recte Suetonii uerba intellegantur, declarari oportet primum quae fuerit haec controuersia, deinde quae fuerit hac in re Suetonii sententia.

Nam Quintilianus, quamquam primordia quaedam dicendi, narrationes fabellarum uel apologorum (I 9, 2; 6) grammatico facile concedebat, aegre tamen ferebat grammaticos aliquas occupauisse partes quas olim rhetores detinuissent; neque enim recte fecisse rhetores Latinos iudicabat, quod 'cetera maioris operis ac spiritus' genera ueluti paraphrases, laudes uituperationesque, sententias, chrias, ethologias grammaticis reliquissent (I 9, 1—6; II 1, 1—13); nam Graecos rhetores qui magis 'operum suorum et onera et modum' nouissent, etiamtum haec retinuisse. Et cum Graecos diceret rhetores, intellegebat eos qui Romae uersarentur, qui inde ex illo tempore quo omne Graecorum disciplinae genus

De rhetori-
bus et gram-
maticis
Graecis

Romam translatum est, in urbe scholas aperuerant, Graeca lingua pueros ad Graecam disputationem declamationemque instituentes. Hi sunt illi, apud quos ut exerceretur Cicero puer inducebatur doctissimorum uirorum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus 'ali melius ingenia' posse (Suet. de rhet. 2). Tales fuerunt denique Nicetas et Hybreas et Theodorus et Plutio quos nobilissimos artis rhetoricae Graecos praeceptores habitos esse Hieronymus tradit in Chronico ad annum ab u. c. 724¹). Praeter rhetores Graecos grammatici quoque Graeci Romae docebant, quorum professio omni tempore secreta fuit a grammaticis Latinis (Quint. I 4, 1 [grammatico] 'Graeco an Latino'; Asinius Pollio apud Suet. de gram. 10 de Ateio 'grammaticus Latinus'; Suet. de gram. 20 'Cornelium Alexandrum grammaticum Graecum'; cf. CIL VI 9453 Q. GARGILIO LYSANDRO GRAMMATICO GRAECO, 9454 M. METTIVS EPAPHRODITVS GRAMMATICVS GRAECVS, 9456 Q. SPEDIOLEIO CERIALI GRAMMATICO LAT; cf. CIL II 2236; 2892 III 406 V 3433 X 3961). Neque tamen ita frequentes grammatici Graeci Romae fuisse uidentur nec magnae gratiae; nam ex praelectione poetarum Graecorum laudem quidem eruditionis neque uero utilitatis fructum ducebat adulescentulus Romanus. Huius autem commodi atque

De grammaticis Latinis

usus spem amplissime pollicebantur grammatici Latini. Nam cum litterae utiles honestaeque Romanae genti uideri coepissent neque iam illa tempora fuissent quibus grassatoris opprobrio afficeretur qui poeticae arti studeret (Gell. XI 2, 5), tum existisse supra diximus uiros, liberos fere omnes (Lemonnier, Étude sur la condition privée des affranchis p. 280), qui id sibi suscipiebant munus, ut pueris adulescentulis Romanis similem impertirent disciplinam doctrinamque atque eam qua apud Graecos imbui solerent pueri a grammaticis. Graecorum igitur instituta secuti puerorum ingenia acuere ac formare studebant maxime legendis operibus scriptorum, hac tamen re diuersi a collegis Graecis, quod, ut par erat in instituendis pueris Romanis, Latina utebantur lingua et Latina proponebant legenda scripta, praeterea quod dicendi quoque praecepta tradebant, ueluti Suetonius (de gram. 4) perhibet ueteres grammaticos et rhetoricam docuisse et nonnullos usque ad ipsius tempora hanc consuetudinem retinuisse. Idem concludere licet ex libro Quintiliani qui dolebat, quod nonnullae

1) Rhetorum Graecorum nomina ante Tiberii mortem Romae commoratorum collegit Alfredus Hillscher, Fleckeis. Jahrb. Suppl. XVIII (1891) 388 sqq.; de grammaticis Graecis disputauit inde a p. 367 sqq.

partes rhetoricae propriae a grammaticis Latinis occupatae essent; quam artium confusionem apud grammaticos et rhetores Graecos non fieri laudat (II 1, 13; I 9, 6). Graecis igitur grammaticis qui fere in interpretandis poetis se continebant (Suet. de gram. 4) hoc maxime propositum erat, ut omnino ingenia puerorum alerent excolerentque (Suet. de rhet. 2); Latini uero grammatici, ut erat Romana gens ad utilitates imprimis intenta, praesenti potius seruiebant usui atque necessitati; et ideo cum rei publicae Romanae condiciones exigerent adulescentem non litteratum illum quidem, sed qui dicendo imprimis ualeret, magistri ex Graecorum artibus, et grammatica et rhetorica, in suam disciplinam contulerunt ea quae huic fini accommodata uiderentur. Graeca grammatica nata ex studio litterarum litteratum excolebat discipulum, Latina grammatica nata ex necessitatibus rei publicae utilem formabat patronum. Atque ille maxime probabatur Romanae genti perfectusque uidebatur esse grammaticus, cuius e ludo adulescentes statim in forum transissent atque in numerum praestantissimorum patronorum essent recepti (Suet. de gram. 4). Itaque Suetonium ex Romanis uiris eos qui remota omni docendi et utilitatis cogitatione ingenuo litterarum studio flagrant, ne in grammaticis Latinis quidem numerauisse supra intelleximus (p. 19).

Cum uero postea mole ac uarietate operum opprimerentur magistri Latini, secretae sunt professiones exstiteruntque illi rhetores Latini (Fridericus Marx, Proleg. ad Auct. ad Her. p. 141 sqq.), similitudine disciplinae atque materiae cum Graecis coniuncti rhetoribus qui ipsi quoque Romae docebant, forma uero ita diuersi, ut Latina tantum lingua uterentur, Latinas tantum declamationes instituerent, Graecae artis memoria omnino oblita (Marx l. s. p. 146). Tamen altera quoque nescio an deprehendi liceat rhetorum Latinorum proprietates, posita illa quidem in ipsa ratione docendi; siquidem ex effectu colligitur natura uoluntasque efficientis. Nam Quintiliani et Suetonii temporibus rhetores Latini ita diuersi erant a Graecis, ut hi traditum disciplinae ambitum integrum custodiuisent, illi uero non mediocrem partem artis suae et exercitationum genera non pauca reliquissent (Quint. I 9, 6; II 1, 1—13). Quas partes cum grammatici occupassent, factum est ut grammaticae et rhetoricae Latinae partes primo post Christum saeculo ita peruersae essent, ut quae essent partes grammaticae, quae rhetoricae certaretur.

Atque de uariis generibus exercitationum quae in ludis rhe-

De rhetori-
bus Latinis

torum sibi successerint, egregie nos edocet Seneca orator (controu. lib. I praef. p. 7, 2 Müller): 'declamabat autem Cicero non quales nunc controuersias dicimus, ne tales quidem quales ante Ciceronem dicebantur, quas thesis uocabant. hoc enim genus materiae quo nos exercemur, adeo nouum est, ut nomen quoque eius nouum sit. controuersias nos dicimus, Cicero causas uocabat. hoc uero alterum nomen, Graecum quidem sed in Latinum ita translatum ut pro Latino sit, scholastica controuersia multo recentius est, sicut ipsa declamatio apud nullum antiquum auctorem ante Ciceronem et Caluum inueniri potest, qui declamationem a dictione distinguit; ait enim declamare iam se non mediocriter, dicere bene; alterum putat domesticae exercitationis esse, alterum uerae actionis. modo nomen hoc prodiit, nam et studium ipsum nuper celebrari coepit; ideo facile est mihi ab incunabilis nosse rem post me natam.' Alterum testimonium est Taciti (dialog. 35): 'at nunc adulescentuli nostri deducuntur in scholas istorum qui rhetores uocantur, quos paulo ante Ciceronis tempora existisse nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, quod Crasso et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae iussi sunt. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetores tractantur, suasoriae et controuersiae.' Tertius testis est Suetonius (de rhet. 1): 'Sed ratio docendi nec una omnibus nec singulis eadem semper fuit, quando uario modo quisque discipulos exercuerunt. Nam et dicta praeclare per omnes figuras, per casus et apologos aliter atque aliter exponere, et narrationes cum breuiter ac presse tum latius et uberius explicare consuerant; interdum Graecorum scripta conuertere, ac uiros illustres laudare uel uituperare; quaedam etiam ad usum communis uitae instituta tum utilia et necessaria, tum perniciosa et superuacanea ostendere, saepe fabulis fidem firmare aut demere, quod genus thesis et anasceuas et catasceuas Graeci uocant; donec sensim haec exoleuerunt et ad controuersiam uentum est.' Tria igitur, ut Senecae testimonium repetamus, rhetoricae Latinae tempora discernebantur, quorum primum genus esset eo tempore cum *ῥήσεις* exercerentur. Quae quales fuerint docet Cicero (orat. 14, 46), quaestiones uidelicet unde omnis in utramque partem traheretur oratio; cf. Tuscul. II 9 et Quint. II 4, 24 et Suetonii uerba supra descripta. Suetonii igitur testimonio constat rhetores Latinos¹⁾, cum primum

1) nam de Latinis tantum egit rhetoribus Suetonius, sicut de grammaticis tantum egerat Latinis. Etenim primum rhetorem esse iudicavit L. Plotium Gallum quem Cicero se puero 'primum Latine docere' coepisse refert (Suet.

Romae esse coeperunt, omnino disciplinam Graecam in suum usum conuertisse, eius generis exercitationes discipulis proponentes 'quod genus thesis et anasceuas et catasceuas Graeci uocarent'. Haec autem exoleuisse et ad controuersiam uentum esse Suetonius perhibet.

Sed quale fuit alterum illud genus 'declamationis', quod medium inseruit Seneca inter thesium et controuersiarum tempora? Quid? quod ipsum nomen declamationis apud nullum antiquum auctorem ante Ciceronem et Caluum inueniri posse affirmat? Atque declamare ait esse domesticae exercitationis, uerarum actionum praeparationis¹⁾; id quod comprobatur Quintilianus IV 2, 29: 'cum sit declamatio forensium actionum meditatio'. Causas uero quae apud populum Romanum agerentur, praeparare uel meditari non nisi Latini rhetores poterant, Graeci nequuerunt. A Latinis igitur rhetoribus hoc exercitationum genus quod proprie 'declamationes' uocabant et quo ipsas causas quae in foro agerentur, meditari iuebant discipulos, institutum esse apertum est. Ita 'sub ipsum ciuile bellum' forenses causas meditabatur Pompeius apud L. Voltacilium Pilutum rhetorem Latinum (Suet. de rhet. 1; 3), ita M. Antonius et Augustus 'ne Mutinensi quidem bello' omiserunt declamandi consuetudinem apud M. Epidium (Suet. de rhet. 1; 4). Neque te fugiat, quam diuersa sit istiusmodi ipsarum causarum forensium meditatio a disciplina Graecorum, qua thesibus propositis et argumentandi ratione a dialecticis adsumpta in uniuersum ingenia alere facultatemque dicendi formare studuerint professores Graeci, neque iniuria Senecam has scholasticas declamationes considerasse tamquam nouatum a rhetoribus Latinis genus.

Denique ad controuersias et suasorias uentum est, non quo eas antea non exercuissent professores, nimirum in rhetorica ad Herennium iam inueniuntur (cf. Marx, Proleg. p. 104), sed mutatis Augusto principe rei publicae condicionibus iterum rhetores Latini se accommodauerunt temporibus et deliberatiuas tantum-

rhet. 2; cf. Marx, proleg. ad Her. p. 147), atque nouissimum posuit Quintilianum qui ita rhetor fuit Latinus, ut aperte suae artis condicionibus opposuerit Graecorum rhetorum instituta (I 9, 6; II 1, 13).

1) Hanc declamandi significationem uerae actioni oppositam aperte Suetonii quoque demonstrant uerba (de rhet. 6): 'declamare autem genere uario: modo splendide modo adornate tum ne usque quaque scholasticus existimaretur, circumcise et sordide et tantum non triualibus uerbis. Egit et causas, uerum rarius.'

modo iudicialesque materias colere coeperunt exclusis reliquis (Quint. II 1, 2; cf. E. Norden, *Kunstprosa* I 248 sqq.). Atque natura ferebat, ut remota a periculo fori declamatio illa scholastica, quae antea actionis tantum forensis causa instituta erat, iam in se posita esse coepisset (de M. Porcio Latrone, Latino 'declamatore' uide Suet. de rhet. 8; cf. Asinii Pollionis iudicium apud Sen. controu. II 3, 13) atque in eam abiceretur eloquentia condicionem quam reprehendit Montanus Votienus (Senec. controu. 9 praef. 1) cum diceret: 'qui declamationem parat, scribit non ut uincat, sed ut placeat'; cf. Quint. V 12, 17.

Gradus igitur et aetates rhetoricae Latinae persecuti eam maxime intelleximus conspicuam fuisse in rhetoribus Latinis uoluntatem, ut Graecam disciplinam, aequae ac grammatici fecerant Latini, ad praesentem semper usum necessitatemque deflecterent et temporibus statim se aptarent utilitatibusque. Itaque narrationes uituperationes ethologias *ἠέσεις* denique Graecorum mox remouerunt quasi nullius in foro usus. Nam ita eos argumentatos esse apparet ex refutatione Taciti (dialog. 31) et Quintiliani II 1, 9—12: 'An ignoramus antiquis hoc fuisse ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut thesis dicerent et communes locos, citra complexum rerum personarumque, quibus uerae fictaeque controuersiae continentur? ex quo palam est, quam turpiter deserat eam partem rhetorices institutio, quam et primam habuit et diu solam. quid autem est ex his de quibus supra dixi, quod non cum in alia quae sunt propria rhetorum, tum certe in illud iudiciale causae genus incidat? an non in foro narrandum est? qua in parte nescio an sit uel plurimum. non laus ac uituperatio certaminibus illis frequenter inseritur? non communes loci sqq.' Praesenti igitur successui inseruientes atque promptae dicendi facilitati studentes humanitatem discipulorum excolere neglegebant neque omnino id sibi negotii impertiebant, ut iudicium discentium, quod tamen maximum est in oratore (Tac. dialog. 34: 'plurimum iudicii iuuenibus statim contingebat') formarent confirmarentque, sed satis habebant dicentes ad securitatem uehementiamque pronuntiationis gestusque instituere (cf. Tac. dial. 31 'non ut in rhetorum scholis declamarent nec ut . . . linguam modo et uocem exercerent' et Ciceronianum illud [orat. XV, 47]: 'declamator aliquis de ludo aut rabula'). Quid? quod praeexercitaminibus illis posthabitis ad ipsas statim causas forenses deducebant pueros uel paene adulescentulos? Iam uides quo pertinuerit illud opprobrium

impudentiae, quo Cicero et qui cum eo sentirent, Latinos rhetores notare solebant (Cic. de orat. III 24, 93; 94; cf. Quint. II 2, 12 'uana de se persuasio'; Tac. dialog. 35 'nihil reverentiae'). Aliter igitur ac rhetores Graeci qui prudentius iudicantes de 'operum suorum et oneribus et modo' ueteris et spectatae disciplinae partes conseruabant¹⁾ etiam post noua Demetrii Phalerei instituta (Quint. II 4, 41; cf. E. Norden, Kunstprosa I 127; 248), Latini rhetores excepto deliberatiuo iudicialique genere ceteras fere omnes partes omiserunt et grammaticis exercendas reliquerunt. Atque ita nata est illa disceptatio, utrum recte grammatici Latini has partes occupauissent necne. Quo in certamine Quintilianum Graecae disciplinae rationem omnino probauisse saepius monuimus²⁾. Suetonius uero omnino oppositus fuit sententiae Quintilianae. Nam postquam ab initio grammaticam et rhetoricam coniunctas fuisse docuit, laudat rationem eorum grammaticorum qui etiam post secretas professiones quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam retinerent. Quae uero Suetonius grammatico uindicat genera, ut 'problemata, paraphrasis, allocutiones, ethologias atque alia hoc genus', eadem sunt atque eae partes quas non recte a grammaticis occupatas esse Quintilianus contendit, thesis dico sententias, paraphrases, chrias, ethologias (I 9, 2—6; II 1, 8 sqq.). Unde apparet, Suetonium primas illas exercitationes rhetoricas quibus pueri instituerentur, partes iudicauisse grammaticae Latinae necessarias.

Quid Suetonius senserit de partibus grammaticae

Atque iam intellegimus quid significare uoluerit ille, cum de Valerio Probo dixerit 'soli huic nec ulli praeterea parti grammatices deditus'. Nempe dixit Berytium ei parti quae uersaretur in interpretandis scriptoribus, suffecisse quidem, cum libros eorum adnotaret adulescentibusque praelegeret, alteri autem parti 'quae praecepta demonstraret' et quae recte scribendi loquendique scientia contineretur (Diom. GL I 426, 15 K), eum defuisse neque magis eum deditum fuisse instituendis pueris ad eloquentiam praeparandam, quae tamen pars magistro Latino minime neglegenda esset. Atque recte nos ita sententiam Suetonii aperuisse, ceteris praeterea argumentis comprobatur. Nam quod dixit Suetonius,

1) ita tamen ut eas *προγυμνασμάτων* loco haberent; nam haec esse eadem atque illae 'primae exercitationes' (Quint. II 4, 36) uel 'curae quaedam dicendi primordia' (I 9, 1) Quintiliani, quas non recte ille a rhetoribus Latinis omissas esse pronuntiauerit, docuit Casimirus a Morawski, Quaestiones Quintilianae, diss. Berol. 1874 p. 6.

2) cf. praeterea Iustinus Woehrer l. s. p. 102 sqq.; p. 132 sqq.

haec institutionum rhetoricarum genera a sui aevi grammaticis omitti ('quae quidem omitti iam uideo'), non facile haec dicere potuit nisi de Valerio Probo quem nouissimum posuit professorem Latinum. Denique quod sibi persuasum esse pronuntiauit, haec a magistris neglegi 'non fastidio', sed 'desidia et infantia', ea uerba mirum in modum illustrantur, si de Valerio Probo dicta sunt; nam tum demum intellegitur quid sibi uelit illa uerborum quasi sibi insidens cumulatio quibus segnities expressa sit atque inertia uiri: 'unum et alterum, uel cum plurimos tres aut quattuor — postmeridianis horis — cubans — inter longos ac uulgares sermones — legere quaedam — idque perraro — de quibusdam minutis quaestiunculis'. Neque non infantiae nota in Berytium cadere uidetur, si quidem recte de Probi genere dicendi disputauimus p. 49 sqq. Suetonium igitur non a partibus Probi stetisse aut rationem eius probauisse apparet; neque eximium quendam ardorem indicant illa 'legerat in prouincia quosdam ueteres libellos apud grammatistam', neque omnino Suetonius ea Berytii ueterum scriptorum editoris admiratione incensus fuisse uidetur, quam Fridericus Leo in illo agnouerat (Plautinische Forschungen p. 21 sqq.).

De commen-
tariis Probi-
anis a disci-
pulis editis

Doctrinam Probi, quam diulgari ipse adeo neglexerat, ut uiuus pauca tantum et exigua de minutis quaestiunculis ederet, utque discipulos non modo non alliceret, uerum etiam satis inclementer non nunquam a se dimitteret (Gell. XIII 21, 8 'hominem dimisit, ut mos eius fuit erga indociles, prope inclementer'), diulgauerunt discipuli, similiter atque fecerant discipuli Antonii Gniphonis (Suet. de gram. 7). Et edidisse credendum est nomen inscribentes magistri, sicuti fecerunt discipuli Quintiliani (inst. or. prooem. 7), sicuti Aristarchi circumferebantur commentarii ad eius scholas a discipulis consignati¹⁾, de quibus disputauit K. Lehrs, de Arist. stud. Hom.³ p. 22; cf. Marx, proleg. ad Auct. ad Her. p. 80; Birt, Buchwesen p. 344 sqq. Et re uera ita factum esse comprobari licet eo argumento, quod posterioris aetatis grammaticis inde a Gellio praesto fuerunt Probiana scripta atque ea plura et ampliora, quam quae ab ipso edita esse Suetonii testimonio constat. Nam

1) nam alterum genus de quo K. Lehrs disseruit, τῶν σχολικῶν ὑπομνημάτων, illos dico commentarios ab ipso Aristarcho ad usum discipulorum conscriptos, quominus Berytium quoque tales confecisse putemus, obstat exiguum quod in eo fuisse uno consensu et Gellius et Suetonius tradiderunt discipulorum studium patientiamque (Gell. l. s., Suet. de gram. 24 'cubans legit quaedam idque perraro'). De commentariis Vergilianis infra disputabitur.

Gellius ea quae secundum Valerium Probum profert, aut ex familiari quodam illius se comperisse affirmat aut ipsi familiari haec tribuit uel alii cuiquam interloquenti. Atqui dudum cognitum est Gellium his et similibus locis finxisse tantummodo disputationis speciem, re uera autem scripta eorum adhibuisse quos disserentes induceret (Ludouicus Mercklin, die Citiermethode und Quellenbenutzung des A. Gellius in den Noctes Atticae, Fleck. Jahrb. Suppl. III 1857—1860 p. 633—710). Inde, cum traditum sit Probum mortuum siluam obseruationum sermonis antiqui reliquisse, Gelliana uero capita quae huc pertineant (in primis VI 7, XIII 21, VI 9 ubi ipsius Probi additum est nomen) omnino speciem exhibeant talium obseruationum sermonis antiqui, apparet edidisse reuera discipulos ea quae magistri scriniis reposita inuenissent, et praesto fuisse Gellio has commentationes Probianas, quarum multos admodum libros se inspexisse affirmat XV 30, 5. Quae nisi exstitissent, aegre hoc dicere potuit scriptor Latinus uix duodecim lustris post mortem Berytii. Deinde quarto post Christum saeculo medio Burdigalae scripta Probi Berytii praeclara habebantur, quae in illa sede litterarum ‘corde callebat intimo’ professor quidam; atque tam ampla quidem fuisse dicuntur haec scripta, ut is qui ea memoria tenebat, iudicaretur ‘Epirote Cineia memor magis’ (Auson. opusc. 16, 16_{1,2} p. 66 Schenk). Concedamus multa pietati erga professores et natiuae iactantiae poetae, tamen haec non dici potuerunt de exiguis et minutis quaestiunculis, quas Probum edidisse Suetonius tradit. Nam ridiculum non uitauisset poeta, id quod minime conueniebat laudationi. Neque arbitrandum est Ausonium Probos confudisse, id quod omnes fere postremae aetatis grammatici fecisse uidentur; nam Probus ille iunior qui dicitur, cuius tempora aetate Diocletiani (GL IV 119, 26 K) et Seruii grammatici (GL IV 413, 34 K) definiuntur, aequalis fere fuit temporibus Ausonii. Qui praeterea Suetonianam uitam nouisse uidetur, ex qua adsumpserit illud ‘Berytium’ (opusc. 3, 18 p. 2 Sch.), quae originis designatio in omni Valerii Probi memoria non occurrit nisi apud Hieronymum, qui eodem fere tempore hoc patriae nomen apud Suetonium legerat. Deinde Consentius (GL V 366, 16; 26 K) de generibus uerborum sententiam protulit ‘Probi uiri doctissimi’, quam sicuti in catholicis ita in institutis frustra quaeres; neque Frid. Goetting (de Flauio Capro Consentii fonte, diss. Regimont. 1899 p. 20 sqq.) hunc Probum Berytium esse affirmare dubitauit. Prisciani denique testimonio (GL II 171, 14 K) constat exstitisse

librum Probianum 'de dubiis generibus', et eiusdem libri auctoritate nisus est Pompeius (GL V 165, 16 K). Qui liber quanti ponderis fuerit, etiamnunc dispicitur in Prisciani grandi opere¹⁾.

Itaque praeter minuta illa scripta a Probo ipso edita circumferebantur commentarii ampliores, quibus Probi doctrina exhibebatur, siue erant ipsius Probi nomine inscripti (ueluti supra dictae commentationes quas Gellius attulit XV 30, 5, uel liber de dubiis generibus), siue erant sectatorum commentarii manifeste doctrinam memoriamque Probi continuantes, ueluti scripta Fauorini, cui mos erat τοῦ ἀπομνημονεύειν (Gell. XIII 25, 12), uel Caesellii Vindicis 'lectiones antiquae', quo de Probi sectatore disputabit qui de Gelliani capitis IX 14 auctore acturus est.

Hoc statuendum erat, ut sententia remoueatur J. W. Beckii (De M. Valerio Probo Berytio quaestiones nouae, Groningae 1886, cf. praeterea praefat. ad C. Plinii libr. dub. sermonis rel. 1894 p. XVI), qui affirmauit Probum librum qui de grammatica esset scripsisse nullum atque ab iis qui historiam grammaticae Latinae describerent nomen Valerii Probi praeteriri posse. Quod ut efficeret, Gellii testimoniis fidem non habendam esse contendit, quippe qui nomen Probi non alio consilio protulisset, quam ut uerum fontem obtegeret; neque Seruium testem scriptorum grammaticorum Probi afferri posse, quippe qui Probum cum Sacerdote et Diomede confudisset, neque aliter Priscianum Probum nominasse, Charisium uero et Diomedem intellexisse²⁾. Itaque nec uestigium nec omnino inscriptionem libri grammatici traditam esse; nam Charisii locum (GL I 212, 7 K), ubi Probi liber de inaequalitate consuetudinis affertur, coniectura facta remouere sibi uisus est.

De Martialis
epigrammate
III 2

M. Valerii Probi memoria quae est apud Suetonium excussa atque declarata ceteri auctores repetendi sunt. Atque ex Mar-

1) quamquam quae ex ipso Valerii Probi libro adsumpserit Priscianus, quae per Caprum receperit, nondum patet; cf. Ludouicus Ieep, 'Priscian', Philolog. 67 (1908) p. 12, qui de Valerii Probi apud Priscianum memoria disputauit p. 31 sqq.; uide praeterea Otto Wischnewski, De Prisciani institutionum grammaticarum compositione, diss. Regimont. 1909 p. 33 sqq.

2) Post ipsam Iulii Steup opinionem profligatam hoc argumentum quod inuenerat ille ad desperatam sententiam commendandam, non iam repetere debuit Batauus. Nam Seruius Diomedem et Probum ita non confundere potuit, ut Diomedis artem post Seruii commentum scriptam esse appareat ex adnot. ad Aen. X 33: 'NEQVE ILLOS IUVVERIS AVXILIO concessiuus est iste modus secundum Probum; namque in artibus non inuenitur etqs.' Inuenitur autem hic modus concessiuus in arte Diomedis GL I 396, 30 sqq. K.

tialis epigrammate III 2 intellegitur Probum anno 88 p. Chr. n. quo editus est tertius liber Martialis, Romae notum fuisse tamquam magnae auctoritatis existimatorem litterarum. Hoc autem maxime constat testimonio uersiculi Martialis Valerium Probum non ad antiquissimos tantummodo scriptores curam contulisse, ueluti illi fecisse uidentur quos Seneca cauillatus est (epist. 114, 13, cf. p. 7); sed sicuti praeter priscos liberae rei publicae scriptores Augusteae quoque aetatis poetas eum magni fecisse docent recensiones Vergilii et Horatii ab eo curatae, ita ne suorum quidem temporum poetas neglexisse Martialis testis est. Quamquam aliud est, poetae cuiusdam rationem habere, aliud eum probare.

Certum de aetate Probi indicium hoc Martialis uersiculo non subicitur (Martinus Schanz, litt. Rom. hist. II² 2 p. 338). Tamen Probum anno 88 p. Ch. n. etiamtum uixisse consentaneum est, si familiares eius Gellium uiderunt (Kuebler l. s. p. 10). Sed accuratius usque ad quem terminum Berytius uitam produxerit, definiri potest collatis eis quae apud Plinium leguntur in epist. V 20, 5: 'Respondit mihi Fonteius Magnus, unus ex Bithynis, plurimis uerbis, paucissimis rebus. Est plerisque Graecorum ut illi pro copia uolubilitas; tam longas tamque frigidas periodos uno spiritu quasi torrente contorquent. Itaque Iulius Candidus non inuenuste solet dicere aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam. Nam eloquentia uix uni aut alteri, immo, si M. Antonio credimus, nemini, haec uero quam Candidus loquentiam appellat, multis atque etiam impudentissimo cuique maxime contigit'.

De aetate
qua fuerit
Valerius
Probus.

Hanc autem appellationem 'loquentiam' uerae eloquentiae oppositam proprii cuiusdam usus fuisse Iulii Candidi, aperte exprimitur uerbis 'haec uero quam Candidus loquentiam appellat'; praeterea Candidum hanc uocem nouauisse eo probatur, quod Plinius suum de hac fictione iudicium protulit, cum 'non inuenuste Candidum ita dicere solitum esse' censeret; id quod sensu careret, si communis iam tum fuisset uocis usus¹⁾. Editum esse quintum librum epistularum circa annum 109 p. Chr. n. Iulius Asbach contendit (Rh. M. 36 [1881] p. 49). Sed singulas librorum epistulas aliquantum prius scriptas esse quam editi sunt.

1) J. W. Beck (l. s. p. 10) argumento non allato ipsa Plinii uerba neglegens negat Candidum hanc uocem nouam finxisse, hac in re Iulio Steup oppositus qui ipse quoque (p. 130) hanc uocem Candidi propriam fuisse iudicauerat.

libri, exemplo docuit H. Dessau (Hermes 34 [1899] p. 87) qui ex titulo CIL III suppl. 1973 (Dessau inscript. sel. 2003) demonstravit, epistolam quae nunc legitur libro IX 37 (edito circa annum 109), scriptam esse anno 107. Praeterea librum quintum epistularum circa annum 106 editum esse censuerat Theodorus Mommsen (Hermes III [1869] p. 47). Denique Herm. Peter, (Der Brief in d. röm. Litt. 1901 p. 108) docuit prima epistularum triadem, libros videlicet I—III, absolutam fuisse anno 104, verum alteri triadi, libris IV—VI, non nullas eiusdem fere temporis insertas esse epistulas. Itaque id certe confirmatur illa quam supra diximus epistula Plinii, facetam illam fictionem Iulii Candidi circa annum 105 Romae placuisse et innotuisse. Atqui cum legamus apud Gellium I 15, 18 Valerium Probum Sallustianum illud 'satis eloquentiae', sapientiae parum' breui antequam uita decederet, sic legere coepisse et sic a Sallustio relictum affirmavisse: 'satis loquentiae, sapientiae parum', non possumus non affirmare Probum deductum esse in hanc coniecturam uoce illa a Iulio Candido nouata¹⁾. Atqui cum adiunxerit Gellius hoc euenisse breui ante mortem Probi, inde colligitur Berytium uitam usque ad primos alterius p. Chr. saeculi annos continuasse. Eodem deducimur testimonio Suetonii: neque enim multo ante mortuus esse uidetur Probus quam editus est liber Suetonii (circ. a. 105 p. Chr.) qui nouissimum eum posuerit grammaticorum et de scriptis uerba fecerit quae uiuus ipse ediderit et quae mortuus reliquerit edenda. Neglegemus igitur testimonium Hieronymi qui, cum Valerium Probum a. 56 p. Chr. n. eruditissimum grammaticorum Romae agnoscere perhiberet, auctoritate Suetonii niti nequiuit. Sanctum uero patriarcham, cui in Eusebii tabulis supplendis certis temporum iudiciis opus esset, ea quae non commemorata inuenisset fortiter finxisse Eduardus Norden exemplis probauit (Rh. M. 61 [1906] 168).

Insequentibus temporibus memoria Probi magis magisque inclaruit. Gellius eum appellauit 'grammaticum illustrem' (I 15, 18), 'grammaticum inter suam aetatem praestanti scientia' (IV 7, 1). Hieronymus ex sui temporis aestimatione adiunxit illud 'eruditissimum grammaticorum'. Atque facile dixerit quispiam Hieronymum iudicium iterasse quod de Berytio proferre solitus esset

1) Potuerit adeo conicere quispiam, ipsis his uerbis Plinianis 'haec uero (loquentia) multis atque etiam impudentissimo cuique maxime contigit' motum esse Valerium Probum, ut hanc 'loquentiam' de Catilina dictam esse pronuntiaret.

praeceptor Donatus, qui Probi auctoritatem repetiuerat in commen-
tando Terentio. Sub finem quarti saeculi Ausonius Burdigalensis
praeclaram dixit esse gloriam Probi Berytii, quam adipisci sibi
non contingeret. Primis quinti saeculi annis Macrobius, cum de
fabula quadam dissereret quam quo auctore Vergilius retulisset
Probus nesciuerat, mirari se profitetur id tantum uirum fugisse.
Quinto deinde saeculo Sidonius Aruernorum episcopus propin-
quum quendam qui Probus uocabatur celebraturus, aperte euocauit
nominibus ludens memoriam M. Valerii Probi Berytii, nullum
gloriae genus maiori fore decori arbitratus patruo quam illam
cum Berytio comparationem (carm. IX 332—335 p. 305 Mohr):

sed memento

doctrinae columen Probum aduocare,

isti qui ualet exarationi

destructum bonus applicare theta.

Atque qui accuratius carmina illa considerauerit, intellet
manifesto Martialis epigramma imitatum esse episcopum, ueluti

v. 318 Nos ualde sterilis modos Camenae

rarae credimus hos breuique chartae,

quae scombros merito piperque portet sqq.

v. 344 non te terreat hic nimis peritus,

(cf. praeterea indicem locorum similium Mon. Germ. Hist. auct.
antiquiss. VIII p. 402) ita ut nobis persuadeamus opinionem illam
Probi uelut acerrimi critici et doctissimi grammatici non medi-
ocriter auctam esse et per aetates translatae illo Martialis
uersiculo. Caelo Musa beat. Atque septimo saeculo Eugenius,
cum opus Dracontii iterum editurus celebres ueterum editores
nominaret, sicuti Homeri praeclarissimum editorem Aristarchum,
ita Vergilii editorem appellat Probum una cum Tuca Varioque
qui primi Aeneidem ediderant.

Vergilii Horatii Lucretii carmina Probum recensuisse constat
testimonio codicis Parisini GL VII 534, 4 K. Terentii recensio-
nis testis est commentarius qui fertur Donati, editus a Paulo Wessner
1902—1908, ex quo quae ad recensio-
nem Probi pertinere uidebantur,
collata sunt in reliquiarum conlectione¹), non ita tamen ut quaes-
tionem me absoluisse iudicem. Nam conferas praeterea quae
obseruauerunt Paulus Rabbow (De Donati commento in Terentium
specimen obseruationum primum, diss. Bonn. 1897 p. 313, cf.
p. 342), Paulus Wessner (Aemilius Asper. Ein Beitrag z. röm.

Quos scri-
ptores recen-
suerit Probus

Quae recen-
sionum ex-
tent uestigia

1) quae huic dissertationi subiecta est.

De adnota-
tionibus ad
σύγκρισιν
Terentii et
Graecorum
pertinentibus

Literaturgeschichte, Halle 1905 p. 22. 25 adn. 33. 36. 38. 39), Maximilianus Dorn (De ueteribus grammaticis artis Terentianae iudicibus, diss. Hal. 1906 p. 8 sqq. 43. 46. 61. 66), H. T. Karsten (De commentu Donatiani origine et compositione, Lugduni Bat. 1907 p. 165 sqq.). Sed nescio an aliud praeterea indicium subministretur quo uestigia Probi demonstrantur. Nam in commento Donatiano non rarae inueniuntur Terentii cum Menandro et Apollodoro comparationes, quas Paulus Wessner (l. s. p. 25) in unum contulit conspectum. Qua in comparatione duae aperte dinoscuntur diuersae uoluntates, quas ad eundem criticum difficile retulerit quispiam. Quarum altera eo maxime tendit ut poetam Latinum recte fecisse iudicet, si qua in parte Romanum induerit colorem habitumque, laudetque eum quod recesserit ab exemplo Graeco et eum scientem id fecisse pronuntiet, cum altera poetam Latinum uituperet et errauisse arguat relictis uestigiis Menandri aut Apollodori. Atqui recte demonstrauit Paulus Wessner, praeter Probum Asprumque qui in fontibus numerandus esset Donati existimandum esse fere neminem. Probus uero qua ex parte steterit hoc in discrimine docent duae adnotationes, ad Eun. I 1, 1, 'NON EAM NE NVNC QUIDEM, "non eam" Probus distinguit; iungunt qui secundum Menandri exemplum legunt' et illa ad Phorm. I 1, 13, 'VBI INITIABVNT legitur apud Varronem initiari pueros Eduliae et Poticae et Cubae, dis edendi et potandi et cubandi, ubi primum a lacte et a cunis transierunt; quod Vergilius (buc. IV 63): "nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est." hoc annotauit Probus'. Verum alter ille qui diuersum sustinuerit iudicium existimator, Asprum dico, ex sua sententia hanc subiecit explicationem: 'sed Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur, initiis Samothracum a certo tempore pueros imbui more Atheniensium'; eundemque criticum audias ad Andr. III 4 13, 'QVIDNAM AVDIO legitur et "audiam" (cf. Wessner p. 28), Menander enim sic ait 'τί ποτ' ἀκούσομαι'.

Atque recte nos hanc existimandi partem, qua laudaretur Terentius a Graecae fabulae ratione discedens, Probo attribuisse, exemplo confirmatur adnotationis ad uersum Andr. III 2, 3, 'NVNC PRIMVM FAC ISTA VT LAVET imperitiae notantes Menandrum aut Terentium ipsi ultro imperiti inueniuntur: nam et ille 'λούσαι' ἀντήν dicens a consuetudine non recessit, † cum lauisse se aut non lauisse a parte totum significantes, et Terentius propius ad significationem accessit 'ista' dicendo ne pudenda nominaret. . . . 3 FAC ISTA VT LAVET 'ista' quae ex puerperio

sordebant; quidam 'ista' ipsam puerperam dicunt — sic enim Menander *‘λούσαι ἀττήν ἀντίκα’* —, sed imperitiae accusantur, quod non continuo solent post puerperium lauare, sed diebus omissis'. Is igitur criticus (nam numerum pluralem 'dicunt' de more posuit ille qui commentum conscripsit), qui Terentii uerba interpretanda esse censeret ex uerbis Menandri, 'ista' ipsam puerperam esse intellegebat, quia apud Menandrum *λούσαι ἀττήν* legeretur; idemque criticus, Asper scilicet, et Terentium et Menandrum imperitiae accusabat, quod non continuo (*ἀντίκα*) solerent post puerperium lauare, sed diebus omissis. Contra quem existit alter criticus uehemens ille quidem atque inclemens, qui reprehensionis aculeum in ipsos reiceret, ipsos ultro imperitos inueniri coarguens qui Menandrum aut Terentium imperitiae notauissent. Neutrum enim poetam reprehendendum esse uideri; nam quod Menander diceret *λούσαι ἀττήν*, eum usum esse orationis quadam figura ¹⁾, id est dixisse quidem poetam *ἀττήν*, sed intellegendum esse immundum parturientis sanguinem. Atque Terentium non uerbum ex uerbo Menandri expressisse ita ut ista = *ἀττή* esset, sed poetam Latinum propius ad significationem accessisse, cum 'ista' posuisset tamquam 'ista quae ex puerperio sordebant'. Atque hunc criticum Valerium Probum esse, praeterquam quod eius ratio omnino accommodata est ei rationi quam Probi esse nouimus ex adnotatione ad Eun. I 1, 1, qua uerba poetae Latini ex uerbis Menandri intellegenda esse nolebat, hac consideratione commendatur quod uehemens ille in aduersarios et indociles pronuntiandi mos a Berytio alienus esse non uidetur ²⁾ (Gell. XIII 21, 9). Sed accedunt alia. Etenim testimonio Seru. ad Aen. VIII 406 constat Probum eam secutum esse in interpretandis uerbis poetarum uiam, ut iudicaret poetas talia uerba posuisse quibus cacemphaton uitaretur. Atque plane consimilem rationem agnoueris in illo „ista“ dicendo ne pudenda nominaret'. Denique illa quam Probo uindicauimus interpretationem, omnino accommodata est sententiae Berytii de dubia specie uerbi 'lauare'.

1) hic enim sensus subesse uidetur uerbis illis corruptis 'cum lauasse se aut non (ubi *‘λούσαι ἀττήν’* iam R. Sabbadini coniecerat) lauasse a parte totum significantes'.

2) Si recte hanc disputandi consuetudinem qua aculeus in ipsum aduersarium reiceretur, Probo propriam fuisse ostendimus, nescio an hinc proficisci debeat qui locum Charisii GL I 212, 7 K 'Parcissime. Probus de inaequalitate consuetudinis quaerit an quis hoc extulerit, quod et ipsum credo non parcissime factum' expedire uoluerit.

Nam apparet diuersa ratione intellegendum fuisse illud 'ista', prout aut transitium accipiebatur uerbum 'lauare' aut intransitium. Etenim qui 'ista' secundum Menandri exemplum feminini generis esse et nominatiuum accipiebant, 'lauet' intransitium intellegerent necesse erat tamquam 'lauetur'. Quam in sententiam abire non potuit Berytius, sed eam defendere debebat interpretationem, qua 'ista' contenderet esse accusatiuum et uerbum 'lauare' transitium. Nam hanc Berytii fuisse sententiam compertum est collata adnotatione Seruii ad Aen. I 194 'PARTITVR Sallustius ait (Iug. 43, 1), 'prouincias inter se partiuerant': nam et partio et partior dicimus: et est uerbum de his quae, cum utramque recipiant declinationem pro nostra uoluntate, actiuae tamen sunt significationis, ut punio punior, fabrico fabricor, lauo lauor; quamquam temptauerit Probus facere differentiam inter actiuam passiuamque significationem, ut dicamus tondeo alterum, tondeor ab altero', et Seruii [Sergii] comm. in Don. GL IV 437, 25 K: 'uerba quorum declinatio in nostra potestate est sunt haec, tondeo lauo fabrico punio et reliqua. uerum tamen debemus secundum naturam actiuum uel actiuum uel passiuum praesumere in declinatione ut 'ego lauor' 'balneum lauat'; quando ego capillos depono, ut dicam 'tondeor', quando alteri capillos detraho, ut 'tondeo'.

Quae si recte disputata sunt, ex Donati adnotationibus ad Andr. III 2, 3 haec ad Valerium Probum referenda sunt: 'NVNC PRIMVM FAC ISTA VT LAVET 1 imperitiae notantes Menandrum aut Terentium ipsi ultro imperiti inueniuntur: nam et ille *λούσαι ἀντήν* dicens a consuetudine non recessit † cum lauisse se aut non lauisse a parte totum significantes, et Terentius propius ad significationem accessit 'ista' dicendo, ne pudenda nominaret. 3 FAC ISTA VT LAVET "ista" quae ex puerperio sordebant'. Neque non Eugraphius¹⁾ (p. 46 Wessner) sententiam Probi retulit: 'melior sensus est: nunc primum fac istaec ut lauet, ut illa scilicet quae immunda sunt sanguine parturientis impleta lauentur'.

Quod de Terentiana arte iudicium cum suo auctori restituerimus, ex commento Donati cetera quoque iudicia quae manifesto ex eadem ratione profecta sunt, Valerio Probo uindicanda erunt; ueluti adnotationes ad Phorm. I 2, 41₄, Adolph. I 1, 18₃, Phorm.

1) qui ipse quoque ad Phorm. I, 15 Probi adnotationem seruauit quam ceteri Terentii commentatores repudiauerant.

II 2, 10; II 3, 46 eidem interpreti tribuendae sunt qui ad Phorm.
I 1, 15, Romanos mores palliatae inmiscuerit; necnon Valerio
Probo qui ad Eunuchi primum uersum Menandri uerbis neglectis
Terentium propriam quandam rationem secutum esse iudicauerit,
talia attribuenda sunt ueluti ad Hec. III 4, 26: 'imperite¹⁾ Teren-
tium . . . dixisse aiunt . . . sed ego Terentium puto scientem
facetius Myconium crispum dixisse', uel ad Eun. IV 4, 22, (errauit
Terentius non intellegens Menandricum illud . . .) . . . at ego † Edi-
sionum sequor qui recte intellexit Terentium scientem 'mustel-
lino colore' dixisse eunuchum uelut subliuido, quia uere eunuchi
aut ex candidissimis lentiginosi fiunt, ut ex Gallis et eiusmodi
occidentalibus, aut ex fuscis subliuidi, ut ex Armeniis et aliis
orientalibus'. Id quod optime accommodatum est sententiae
Pauli Wessner, qui (Asp. p. 37) docuit eas adnotationes quae
figura 'at ego' 'sed ego' inferrentur, ad ipsum Donatum referendas
esse; nam hunc cum ita Terentium defenderet, non suis usum
esse argumentis, sed alieni cuiusdam interpretis, apparet ex illa
quam descripsi adnotatione ad Eun. IV 4, 22, : 'At ego † Edi-
sionum sequor qui' etqs., ubi ut Probi nomen corruptum resti-
tuamus, argumentationis ratione ac uia deducimur.

Robertus Kauer (Stud. Vindob. XX [1898] p. 256 sqq.; XXII
[1900] p. 56 sqq.) obseruauit, a Iouiale quodam sexto p. Chr.
saeculo codicis Bembini contextum distinctum esse, usumque esse
correctorem exemplari simili iis quae nos communi nota δ designare
solemus, iis uidelicet quae antiquissimam exhibent speciem
Calliopeae quae dicitur recensionis (l. s. p. 265). Sunt autem
cod. Victorianus-Laurentianus XXXVIII 24 s. IX/X (D) et cod.
Decurtatus-Vaticanus 1640 s. XI/XII (G). Atque euenit ut
plerumque congruant distinctiones Iouialis cum adnotationibus
Donati atque imprimis in uersu Eunuchi fabulae primo, ubi
distinctio uerborum ad Valerii Probi auctoritatem a Donato
relata est. Unde recte suspicatus est Rob. Kauer (l. s. XXII
p. 90) omnes quae apud Donatum ad distinctionem pertinerent
adnotationes cum Iouialis distinctionibus congruentes Berytio
tribuendas esse. Quod si est, concedendum est Probi distinc-
tionem quodammodo coniunctam esse cum ea recensione fabu-
larum, cuius speciem etiamnunc exhibent codices D et G. Id
quod altero praeterea euincitur argumento. Nam Andr. IV 3, 5

De codicibus
Terentianis
qui ex recen-
sione Probi
pendere
uideantur

1) simili modo ad Andr. IV 3, 5 Probum disputauisse intelleximus contra
eum qui Terentium 'imperitiae' arguerat.

Probum 'dolorem' legisse Donati adnotatio docet. Quam lectionem ex omnibus codicibus soli D et G seruauerunt.

Qualis tandem est illa recensio δ , quam cum Probi recensione coniunctam esse iam uix negaueris? Atque cognita est illa Bembini codicis recensio, quae fabulas secundum tempora quibus actae sunt a poeta ordinatas exhibet, quam recensionem paulo post poetae mortem a familiaribus curatam esse Edmundus Hauler adfirmavit in editione Phormionis³ (1898) p. 17 adn. 2. Praeterea exstat altera, haec ipsa de qua quaeritur recensio δ , hac in re diuersa ab illa Bembina, quod fabulas secundum litteras ordinatas exhibet, ita ut Hecyra ultima sit (Andr. Ad. Eun. Form. Heaut. Hec.). Quodsi recte hanc ad Probi recensionem retulimus, Berytius, sicuti Varro Plautinas fabulas secundum litteras ordinauerat, ita quoque in recensendis fabulis Terentianis fecisse uidetur. Tertiam recensionem (γ) qui curauit, secundum Graeca maxime exempla fabulas ordinauisse docuit Fridericus Leo (Rh. M. 38 [1883] 319); cf. Rob. Kauer l. s. XX 266. Id quod egregie accommodari uidetur cum illa quam in commento Donatiano ubique Probo oppositam uidemus existimandi rationem, quam ad Aemilium Asprum retulit Paulus Wessner.

Placet ultimam subiungere obseruationem de Terentianae recensionis memoria ad Valerium Probum pertinente. Adscripta enim sunt in codice Bembino scholia (edita a Francisco Umpfenbach in Herm. vol. II p. 337 sq.; cf. praeterea Guil. Studemund, Fleck. Jahrb. 1868, 546; 1882, 51 sqq.) non ita multo post Iouialis distinctionem adpicta, in quibus id memorabile cernitur, quod diligenter ratio habita est distinctionis et emendationis Iouialis (Kauer l. s. XX, 261 sqq.). Praeterea Iouialis curae pertinent usque ad Heaut. uersum 792, exclusa fabula Hecyrae: atque ipsa quoque scholia pertinent usque ad Heaut. u. 582 exclusa fabula Hecyrae. Unde recte suspicatus est Paulus Wessner (Asp. p. 41) haec scholia non ex commentario quodam, sed ex eodem exemplari Terentii fabularum adsumpta esse quo usus esset Iouialis. Itaque si exemplar Iouialis ex recensione Probi profectum esse demonstratum est, haec quoque scholia ad eundem referenda esse auctorem apparet. Hanc sententiam, in quam ratione ac uia deducti sumus, ueram esse, argumentis praeterea confirmare licet. Etenim Paulus Wessner (Asp. 41) iam obseruauit, scholiis illis a manu uetere adscriptis proprium esse frequens illud quod positum est 'dixit'. Atque quis fuerit ille qui tam impigre docebat, intellegas ex scholio ad Eun. I 1, 34: 'calamitas dixit grandio

ab eo quod calamos frangat' quocum conferas Donati ad hunc locum adnotationem: 'NOSTRI FVNDI CALAMITAS proprie calamitatem rustici grandinem dicunt quod comminuat calamum id est culmum ac segetem,' et maxime ad Hec. prol. I 2, 3 'calamitas *παρὰ τὴν καλάμην* dicitur, clades quia clam datur, ut aliud sit grandinis culmum fragentis, aliud furti aut doli mali. sic Probus' ¹⁾).

Itaque, ut summam faciamus, recensionis δ exemplaria Terentiana quodammodo pendere ex recensione Probi, et praeter Donati commentum scholia quoque Bembina reliquias exhibere interpretationis Probianae intellectum est.

Probum carmina Vergilii recensuisse constat et Anecdoti Parisini de notis testimonio et commenti Seruiani. Cum uero Probi memoria praecipue seruata sit non Seruui ipsius, sed Danielis quae dicuntur scholiis, omnis haec de Probo Seruui auctore quaestio coniuncta esse uidetur cum illa de Seruiani commenti natura atque origine (cf. Thomas, Essai sur Servius et son commentaire sur Virgile, Paris 1879; Georgius Thilo, edit. Seruianae uol. I (1881) praef. p. V sqq.; Klotz, Quaestiones Seruianae, diss. Gryphisw. 1882; Henricus Georgii, Die antike Äneiskritik, Stuttgart 1891 praef. p. 38 sqq. p. 569; cf. Paulus Wessner, Burs. Jahresber. (1908) 138 p. 157 sqq.). Potuerit quispiam ex codicum scripturis colligere uestigia recensionis Berytii, cum traditus sit Probus i litteram duabus uocalibus interpositam geminasse (Seru. Aen. I 1), 'nactus' scripsisse absque n (Prisc. GL II 513, 7 K). Tamen i litterae geminatae scriptiones certo argumento esse nequeunt ideo quod non noua a Berytio inuenta est haec consuetudo, sed auctoritate eius tantummodo denuo commendata; accedit quod satis frequens illius scripturae occurrit usus, ita ut, ubi ea deprehendatur,

De recen-
sione Vergilii

Quid reli-
quum sit

1) unde apparet, etiam adnotationem Seru. ad georg. I 151 'ROBIGO autem genus est uitii quo culmi pereunt, quod a rusticanis calamitas dicitur. hoc autem genus uitii ex nebula nasci solet, cum nigrescunt et consumuntur frumenta. inde et Robigus deus et sacra eius decimo Kl. Maias Robiginalia appellantur. sed haec res abusiue robigo dicitur: nam proprie robigo est, ut Varro dicit, uitium obscaenae libidinis quod ulcus uocatur' ex Varrone per Probum in Seruui commentum inlatam esse. Quod si est, simul edocemur qua ratione et uia Probus instituerit uocis originem explicandam; nam a Varronis uerbis eum profectum esse apparet ad declarandam etymologiam; cf. Maximil. Dorn l. s. p. 9. — Probi ueriloquium in glossas transiit CGL V 205, 42: 'Grando a rusticis calamitas appellatur unde et terrentius sed ecce ipse greditur nostri fundi calamitas'. (cf. Wessner, append. edit. Donat. ad Eun. I 1, 34.)

minime certa uia deducamur ad Valerium Probum. Quae in codicibus Vergilianis adhuc cernerentur duplicis i scriptiones, tamquam ad Probi rationem pertinentes collegit Otto Ribbeck (proleg. p. 138). 'Nactus' scriptiois exempla collata sunt in indice grammatico Ottonis Ribbeck (proleg. p. 434). Sed in requirenda Valerii Probi memoria munitiore uia insistemus, si eos locos considerauerimus, ubi carminum Vergilianorum uerba emendauisse traditus est. Atque Vergiliani codices qui aetatem tulerunt neque pauci sunt et uetusti; quorum qui antiquissimus censetur, cuius exemplar exhibent schedae Vaticanae, ad quinti p. Chr. saeculi principium refertur. Probi igitur recensiois formam, quae esset auctoritas Berytii, non euanuisse suo iure crediderit quispiam. Atque quod legendum commendauerat Probus Aen. I 44 TEMPORE, nullius hodie confirmatur codicis testimonio¹⁾. — Aen. I 441 Probus legerat genetiui figuram VMBRAE, ubi codices: VMBRAE (E eras.) F VMBRA MIR γ bc. — Primos duos uersus libri sexti Probus in quinti reliquerat fine, omnes uero codices illos ad initium sexti translatos exhibent. — PHOEBIGENAM Probus feliciter restituisse traditur ad Aen. VII 773; eius figurae tamquam imaginem unus seruauit Mentelianus primus²⁾: 'phœnigean', cum ceteri codices exhibeant POENIGENAM M γ ^{2b} POENIGINAM R. — Aen. VIII 406 Probus INFVSVM legerat, ubi codices: INFVSVM (M man. ant. corr. in S) P INFVSVM (M man. ant. in ras) R, infusus Gell. IX 10, 2 Charis. 275, 4 Nonius 365, 28 effusus Diom. 460, 18. — Aen. IX 369 Probus legisse uidetur REGIS; nam haec adnotata sunt in schol. Veronens.: 'IBANT nullo³⁾ alio loco ostendit illos a Turno missos. Hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse (Aen. VII 600): 'Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas'. Integram prioris enuntiati formam tradit Seruius (auct.) ad Aen. IX 365 'PRAEMISSI EQVITES hos neque alio loco a Turno missos usquam dixit nec prius de eis mentionem fecit. dubitatur ergo a quo sint uel quibus praemissi uel cur praemissi, cum

1) Ottonis Ribbeck utor copiis; codicum qui ad hanc disputationem pertinent notae sunt hae: F = schedae Vaticanae, M = cod. Medicus, P = cod. Palatinus, R = cod. Romanus, γ = cod. Gudianus, a = Bernensis 172, b = Bernensis 165, c = Bernensis 184.

2) quod est exemplar antiquius, suppeditatum a Ioanne Mentelio medico Parisino. Eundem librum inter ceteros solum exhibuisse lectionem 'floras' a Probo Aen. XII 605 uindicatam Nicolaus Heinsius auctor est (Otto Ribbeck prol. 355).

3) nullo alio: O. Ribbeck prol. 143.

eos constet aliis iam in campo positis aduenire¹⁾. Haec autem non erat reprehensio M. Valerii Probi, quae qua in re posita fuerit cognoscitur ex adnotatione Seruii ad uers. 365 'VRBE LATINA non est contrarium illi loco ubi ait (VII 600) 'saepsit se tectis rerumque reliquit habenas,' quod modo a Latina urbe auxilia uenire commemorat: intellegimus enim Latinum in principio discordiae et tumultus paululum se abstinuisse, postea tamen nec suorum copias nec propria denegasse consilia; nam eum et coetui et foederibus interfuisse dicturus est²⁾. Probus igitur in eo offensus erat, quod ex urbe Latina, sede regis Latini qui taedio depulsus omnino bello abstinuisset, nunc Turno Rutulisque responsa regis Latini referri auxiliisque mitti dicerentur. Ex quo intellegitur duas hoc loco a diuersis criticis censuras Vergilio factas esse; quarum alteram qui mouerant in eo maxime haerebant, quod dubitaretur 'a quo essent uel quibus praemissi equites uel cur praemissi', cum Probus aperte intellegeret eos a Latino rege Turno auxilio missos esse. Itaque apparet eos qui mirabantur, quod nunc equites dicerentur Turno regi responsa ferre qui nullo alio loco a Turno missi essent, uersu 369 legisse TVRNO REGI, cum Probus et Seruius REGIS legisse uideantur, regis uidelicet Latini responsa, sicuti praeterea Seruius aperte ostendere uidetur cum regem Latinum dicat 'nec propria denegasse consilia'. Cuius tamen lectionis Probianae, quam Seruius auct. ad u. 367 in 'omnibus bonis' inueniri con-

1) sed cf. Tib. Claudi Donati interpret. Vergil., Lips. 1906 II p. 237.

2) Plane eadem ratione usus est Seruius ad Aen. IV 697 cum pronuntiat: 'SED MISERA ANTE DIEM non est contrarium quod dicit in decimo (467) 'stat sua cuique dies' etqs. Quae cum proferret Seruius, refutauisse uidetur eam quaestionem quae ad superiorem uersum adscripta est: 'Cum dicat Vergilius (X 467) 'stat sua cuique dies', quomodo hic dicit 'nam quia nec fato merita nec morte peribat, sed misera ante diem'? Nam si fato uiuimus, quid agunt merita? si pensamus meritis, quae uis fati? quomodo hic et fatum admittit et meritum'? etqs. Itaque nescio an recte hanc disquisitionem ad Probum retulerit quispiam. Quod utcumque est, id certe statuere licet, eum qui nunc ad IV 697 Vergilium defendit, eundem esse atque illum qui ad IX 365 Probi reprehensionem refutauerat. Cuius igitur commentatoris uerba quae sequuntur si consideraueris 'non est contrarium — nam ut saepe diximus, secundum sectas loquitur, et hoc secundum alios, illud secundum alios dictum est', rectius iudicabis de adnotatione Seruii ad Aen. X 18 ubi haec leguntur: 'HOMINVM DIVVMQVE AETERNA POTESTAS hunc locum Probus quaerit. sed dicit unam rem secundum physicos, alteram secundum mathematicos' etqs. Intellexeris enim uerba inde a 'sed dicit . . .' aduersario Probi tribuenda esse neque recte Ottonem Ribbeck (prol. 145) neque Iulium Steup (p. 109) omnem adnotationem Probo uindicauisse.

firmat, uestigium hodie agnoscitur nullum. — Aen. IX 811 AEGER, quod commodius hic esse Probus affirmauerat quam in quinto, hodie in omnibus exstat libris. ACER autem quod quosdam legisse tradit Seruius, nullius libri testimonio hodie confirmatur. — Aen. X 173 Probus subdistingui uoluerat 'trecentos', uerum in Mediceo qui unus huius enuntiati seruaui antiquam distinctionem, uerba aliter atque Probus uoluerat, cernuntur distincta, nam TRECENTOS INSVLA. IN EXHAVSTIS legitur. — Aen. X 303 Probus VADI legit, sed codices VADIS P VADIS MRybc. — Aen. X 539 INSIGNIBVS ALBIS legerat Probus, sed: A . . . S P₁ ARMIS MP₂Rybc, unde suspiceris in Palatino prius exstitisse, sed expulsam esse lectionem quam Probus commendauerat ALBIS, sicuti mutata erant a correctore codicis Palatini Probiana VADI (X 303) et INFVSVM (VIII 406). — Aen. XI 830 RELINQVVNT 'alios' legisse Seruius adnotat, inter quos Probus fuisse uidetur; atque Otto Ribbeck quam sibi finxerat Berytii auctoritatem secutus hanc formam textui inseruit. Codicum uero testimonia sunt haec: RELINQVENS (N et fort. S in ras.) P RELINQVENS Mybc RELIQVIT R. — Seruius haec adnotauit ad Georg. I 277: 'Probus Horcus legit, Cornutus uetat aspirationem addendam.' Sic enim legendum esse, non 'Orchus', Ottonem Ribbeck (prol. 139) secutus docuit Rudolphus Reppe (de L. Annaeo Cornuto, diss. Lips. 1906 p. 39 sqq.). Atque HORCVS hodie legitur in codice Palatino.

Qua ex lectionum recensione confirmari uidetur, inter Vergilianos codices Palatinum et Romanum quodam uinculo ex recensione Probiana pendere; deinde singulari loco habendum esse Mentelianum illum librum qui unus, si testibus fides, duas Probi lectiones (Aen. VII 773) 'Phoebigenam' et (Aen. XII 605) 'floros' seruaui. Nam quod schedarum Vaticanarum exemplar ex ipsa Probi recensione ortum esse dubitanter contenderat O. Ribbeck (prol. 283) eo argumento fretus, quod 'quaedam ad grammatici alicuius antiquiores et rariores formas praeoptantis uel in scribendis uocabulis certa praecepta exequentis auctoritatem redirent', equidem manus dare nequeo, cum scribendi consuetudinem uix argumento esse supra uiderimus.

De Horatii
recensione

Valerium Probum carmina Horatiana recensuisse testimonio Anecdoti Parisini constat; certam uero lectionem aut adnotationem ad Probum referre difficile est ideo, quod nomen Probi in iis commentariis Horatianis qui aetatem tulerunt, legenti non

occurrit¹⁾. Quae fuerit recensionis Probianae uis atque pondus uel quae etiam nunc deprehendi possint reliquiae, haec nouisse eius summopere refert, qui librorum manuscriptorum fati per saecula expositis de uerbis poetae restituendis definiturus est. Qua in re contrariae sibi positae sunt duae sententiae. Nam Fridericus Leo (Gött. gel. Anz. 1904 p. 854 sqq.) carmina Horatii eam ob rem constanti quadam et definita forma aetatem tulisse adfirmavit, quod Valerii Probi diligentia atque auctoritate custodita essent. Cui Fridericus Vollmer (Zur Überlieferung des Horaz. Philol. Suppl. X 261 sqq.) ita assensus est ut formam carminum quae nunc circumferretur, ad Mauortii exemplar Porphyronis commento auctum referendam esse pronuntiaret, Mauortii autem recensionem exemplaris Probianae figuram exhibere (l. s. p. 317). De iudiciis recensionis Probianae disputauit l. s. p. 266 et 272. Contra quos Otto Keller (Zur Überlieferungsgesch. d. H., Rh. M. 61 [1906] p. 78 sqq.) cum suam defenderet sententiam negauit (p. 81 et 83) recensionis Probianae hodie ullum posse agnosci uestigium. Quo in discrimine in ea parte quae ad Valerium Probum pertinet, hoc interim statuendum est cauendum esse, ne nimia tribuatur Berytio editori laus atque auctoritas (cf. p. 57 sqq.).

Codicis Monacensis (s. XV) qui olim Petri Victorii fuit, epanorthoses et notas criticas, quas Theodorus Bergk (Fleck. Jahrb. 83, 316 sqq.) ad Valerii Probi recensionem retulerat, non ueteris esse memoriae, sed a Marullo adpictas esse docuit Hermannus Sauppe, ind. schol. Gotting. 1864/65. Neque tamen dicendum est condicionem carminis Lucretiani nimis perturbatam esse quam ut manum ostenderet grammatici recensentis; etenim Probus, cum recensiones curabat, non integrum sua manu²⁾ perscribebat opus, sed notas apponebat; quae si postea a librariis omittebantur, omne operae Berytii uestigium euanescebat (Steup p. 81 adn. 2; Frid. Vollmer l. s. p. 267).

Sallustianum illud (Catil. 5) uocabulum 'loquentia' quod recte restituisse sibi uisus erat Valerius Probus (Gell. I 15, 18), hoc M. Cornelius Fronto in suo exemplari non legit, si quidem id protulit ea quam Probus expulerat forma 'satis eloquentiae

De Lucretii
recensione

De Sallustio

1) Gudeman colligendas sibi proposuit quae Valerii Probi reliquiae ad interpretis officium pertinentes aetatem tulisse uiderentur (cf. adnot. Friderici Vollmer in Philolog. suppl. X p. 267).

2) Fronto inter claros litterarum Latinarum grammaticos uel uiros, qui sua manu aliorum scripta descripsissent, Valerium Probum non nominauit (p. 10 Nab.).

sapientiae parum' (p. 107 N), uel detorta sententia 'parum eloquentiae sapientiae nihil' (p. 155 N, cf. Haupt, opusc. II 354); neque Prisciani auctor (GL III 85, 4 K) Valerii Probi emendationem accepit. Ex libris Sallustianis manu scriptis (Rudolfus Dietsch, Gai Sallusti Crispi quae supersunt, Lips. 1859 p. 141) uocabulum 'loquentiae' pro uaria scriptura inter lineas positum exhibet Lipsiensis saec. XI exeuntis (Dietsch p. 9); eraso 'e' uocabulum 'loquentia' restitutum est in duobus libris, quorum alter est Parisinus 6088 (Dietsch p. 6) multis glossis ornatus, cuius in textu pauca correcta sunt nonnullaeque glossae adscriptae manu recentissima (fort. saec. XVII), alter Guelferbytanus saec. XV in Italia exaratus, cuius externo nitore fidem tamen non respondere affirmat editor (Dietsch p. 10). Qui codices omnes in deterioribus numerantur, quippe qui lacunam (Iug. 103₂—112₃) expleuerint quidem, uerba tamen (Iug. 44₅) 'muniebantur ea' non exhibeant (K. L. Roth, Rh. M. IX [1854] 133) et (Iug. 21, 4) 'de controuersiis suis iure potius quam bello disceptare' omittant (Roth p. 132)¹). Praeterea Cyprianus a Popma (ed. Sall. Louanii 1572) scriptum esse 'loquentia' in cod. S. Martini Louaniensi testatur, Gottlieb Cortius (C. Crispi Salustii quae exstant, Lips. 1724 p. 33) 'loquentia' scriptum esse affirmauit in manuscripto quem Incertum uocare solet. Franciscus Dorotheus Gerlach (C. Crispi Salustii quae exstant, Basil. 1827 uol. II p. 16) in codice Veneto IV 'satis loquentiae' ('sed per emendationem') fuisse testatur. Quod si est, coniectura Probi ab antiquorum temporum uiris in textum non recepta a medii demum aevi uiris litteratis ex Gellio in exemplaribus adscripta uel substituta esse uidetur.

De Plauto

Fridericus Leo (Quaest. Plaut. p. 22 sqq.) nimia fortasse auctoritatis Berytii opinione ductus adfirmat Valerium Probum non modo editionem Plauti curauisse, sed illius grammatici opera factum esse ut omnino Plauti fabulae memoriae restitutae essent. Cui uero sententiae testimonia uetera non ita fauere uidentur;

1) nam quod Rudolfus Dietsch editioni praefatus disputauit, uerba Iug. 21, 4 'de controuersiis — disceptare' ex docti grammatici cuiusdam adnotatione in textum recepta esse, non procedit. Etenim ex iis locis quos Frid. Kritzius (C. Sallusti Crispi opera, Lips. 1834 II p. 136) attulit Caesaris et Liuii e libris adsumptos, apparet uerba non esse ficta ex arbitrio commentatoris supplentis, sed sollemnia esse quibus senatus tali in re uti solet, itaque a Sallustio, cum uerba senatus referret, non omitti potuisse. Idcirco cum Carolo Lud. Roth (Rh. M. I. s. p. 132) statuendum erit, eos codices qui ea exhibeant, inter praestantiores censendos esse, qui ea omittant, inter deteriores.

nam sicuti Probum editionem Plautinam fecisse nullius monu-
menti testimonio constat, ita inde ab altero p. Chr. saeculo non
noua quaedam editio, sed sola illa Varronis recensio XXI fabu-
larum circumferebatur, quae aetatem tulit ad nostrum aeuum.
Praeterea ne eo quidem necessario deducimur ut affirmemus
Probum Varronis editionem redintegrasse; nam ea quae Suetonius
perhibet de memoria ueterum Romae abolita, ita accipienda esse
ut e magistrorum ludis tum temporis remota essent ueterum
scripta, supra expositum est p. 5 sqq. Praeterea Plauti fabulas ne
legisse quidem diligenter uidetur Valerius Probus, si quidem
apud Donatum ad Phorm. II 3, 25₂ adnotata leguntur: 'MALE
LOQVI pro male dicere. quaerit Probus quis ante Terentium
dixerit.' Sane non nunquam in grammaticorum sermone 'quaerere'
idem ualet atque 'quaestionem scribere de aliqua re', qua de
significatione exemplis propositis Iulius Steup disputauit (p. 47).
Tamen, quia Probus nouas uoces obseruare solebat, ueluti Sal-
lustium nouatorem uerborum (Gell. I 15, 18) appellauit et 'nouam
uocem "praefocare" miratus est' (Diomed. GL I 365, 9 K), hic
quoque facile credideris Probum de noua quadam uoce quam
primus Terentius adhibuisset, cogitauisse. Atque Paulus Wessner
iam in editione Donati adnotauit dictum esse iam a Plauto 'male
loqui' Truc. 265; ipse alterum subiunxi exemplum Capt. 564.

Cum carminibus Persii coniuncta in codicibus tradita est
uita poetae, quae dicitur 'ex commentario Probi Valerii sublata'.
Quod nomen num recte additum esset, inde ab Ottonis Iahn
temporibus disputatum est. Atque hic (proleg. edit. 1843
p. CXXXVI) doctissimum fuisse uitae scriptorem neque ita longe
remotum a Persii ipsius aetate statuit. Qua re tamquam argu-
mento nisus Probi Valerii nomen recte a codicibus tradi docuit,
neque tamen uitam, perturbata qua esset condicione, talem a
Berytio scriptam esse qualem nunc legimus, sed ex diuersis Probi
adnotationibus congestam esse. Cui sententiae Theodorus Bergk
(Zeitschrift f. d. Altertumswiss. 1845, p. 125) cum assentiretur,
exempli loco attulit consimilem Marcellini uitae Thucydideae
condicionem. Carolus Ludouicus Roth, editioni libri de gram.
et rhet. Suetonii 1857 praefatus p. LXXXV iudicium suspendit,
neque tamen recte Casaubonum dixisse Suetonium auctorem uitae.
Deinde Augustus Reifferscheid 1860 cum reliquias Suetonii
colligeret, p. 394 iterum uitam Probo uindicauit, Suetonium
autem illa uita usum esse. Rectius quam Otto Iahn perspexit,
non congestam esse uitam ex scholiis, sed consilio atque ordine

De Persii
recensione

De uitae
Persii auc-
tore quae
sententiae
prolatae sint

uitam conscriptam esse, cuius misella tantum excerpta interpolationibus insuper inquinata ad nos peruenissent. Iulius Steup qui omnem Probi uel Proborum memoriam collegit 1871 (p. 125 sqq.) commentarium et uitam non Berytio, sed Valerio Probo minori quem sibi finxerat, attribuit, uitamque Persii commentario praemissam fuisse pronuntiauit, sicuti Vergilii commentariolo Probiano etiamnunc praefixa legeretur uita Vergilii. Deinde Gustauus Körtge (In Suetonii de uiris illustribus libros inquisitionum capita tria, diss. Halens., uol. XIV 1900 p. 228 [42]) uitam Persii a Valerio Probo remouendam esse censuit eo argumento fretus quod, si Berytius re uera uitas scripsisset, Suetonius 'ut biographus minime praetermisisset, istius negotii mentionem facere'; uitam deinde Suetonio attribuit ideo quod uestigia prae se ferret eius rationis Suetonianae quae cerneretur in reliquis biographi libris. Deinde Fridericus Leo in libro Lipsiae 1901 edito, quo exposuit Graecos in uitis scribendis certis rationibus se astrinxisse Romanosque hoc in genere omnino Graecos secutos esse, p. 18 adn. docuit, ex eo quod Probianae uitae ratio congrueret cum illa qua Suetonius usus esset, deduci non posse illam uitam huic auctori attribuendam esse, quippe cum uterque exempla Graecorum maximeque Alexandrinorum continuauisset. Id quoque recte statuuisse uidetur Fridericus Leo, Suetonium disertis uerbis de uitis quas conscripsisset Probus, ideo non egisse quod hoc officium in munere grammatici scripta recensentis contineretur, atque ideo non esse cur auctoritati codicum nomen Probi exhibentium fides negaretur (sed cf. Wessner, Burs. Jahresber. 113 p. 143). Paulus denique Wessner in illa disquisitione qua de Aemilii Aspri studiis ac uita inuestigauit 1905, Gustauus Körtge repetiit argumentum, cum Probum uitas omnino conscripsisse negaret ideo quod biographus Suetonius hac de re nihil tradidisset. Quod si rectum esset, iure nos negaremus Remmiam Palaemonem primum inter Latinos artem grammaticam composuisse; nam Suetonius haec non tradidit. Probum porro omnino in numero eorum non habendum esse qui ante Suetonium uitas conscripserunt, inde sibi persuasit uir doctus quod Suetonius inter eos quos sequi se profiteretur, Probum non nominauisset. Ad quod respondebimus, Probum re uera librum 'de uiris illustribus' non scripsisse, Suetonium autem eos tantummodo nominauisse quos auctores haberet inter Latinos in hoc quod erat proprium quoddam litterarum genus, sicuti Graeci scribere solebant *περὶ τῶν . . . διαπραγμάτων*. Nam

quod dicit Wessner minime probabile esse, post editionem a Caesio Basso a. 62 curatam tam exiguo spatio intermisso alteram editionem a Probo factam esse, argumento esse nequit. Nam si omnino Probus Persii carmina edidit, hoc posteriore parte uitae fecisse uidetur, siquidem in Anecdoto Parisino nondum commemorata est editio Persii (cf. p. 10). Probum autem uitam usque ad initium secundi saeculi produxisse supra demonstratum est (p. 31); praeterea carmina Persii statim edita ab hominibus direpta esse uitae auctor et carminum editor tradit (p. 59, 16 B).

Iam in ipsam uitae formam inquirendum erit, in qua hoc imprimis memorabile est, quod ex duabus consuta uidetur partibus, quarum altera incipit ab illo 'sed mox ut a schola magistrisque deuertit'. Quam partem non ab illo qui primus uitam conscripsit, coniunctam esse cum superioribus inde intellegitur, quod uitae enarrationem, qualis legitur inde a principio usque ad 'decessit autem uitio stomachi anno aetatis XXIX', perfectam et conclusam esse apparet, neque solum opere absoluto quasi superuacua illa addita sunt, uerum etiam repetuntur quaedam quae in ipsa uita lecta erant, uelut illa de scriptis Persii a Cornuto leuiter correctis. Praeterea ea quae 58, 21 leguntur 'nam Cornutus illo tempore tragicus fuit sectae poeticae qui libros philosophiae reliquit' a primaria uitae forma tamquam aliena remouenda sunt ideo quod illa de Cornuto notitia, praeterquam quod non primo sicut conuenerat quo nominatus sit Cornutus loco 58, 15 adscripta est, repugnat cum totius uitae tenore, cum ceterorum uirorum nomina relata sint nulla addita explicatione; unde recte agnouisse sibi uisus erat Otto Iahn, scriptam esse uitam a uiro non ita remoto a temporibus ipsius Persii, quippe qui homines a legentibus cognitos esse supposuisset. Porro 'tragicus fuit sectae poeticae' sensu caret. Recte igitur Theod. Bergk haec uerba secreuit ex contextu. — Alienis igitur quae adglutinata erant resectis, de ipsius uitae uerbis disputandum erit. Atque primum p. 58, 24 sqq. memoria turbata sic restituenda esse uidetur: 'ut uix se retineret recitante eo clamaretque illa ipsa uera esse poemata, sua se ludos facere', ubi diligenter retulisse apparet scriptorem uerba Lucani quae, ut in exclamatione, cottidiani sermonis figuram exhibent. Atque cum ita exclamasset Lucanus 'se in cassum laborare in faciendis carminibus', eadem fere significatione usus est illa locutione 'ludos facere' qua Plautus dixit (Rudens 900): 'nam nunc et operam ludos facit et retia / ut tempestas est nunc atque

De uitae
Persii forma

ut noctu fuit'. Quod narrat scriptor de Persio carmina sua recitante, conferenda sunt quae dicit Seneca controu. IV praef. 2 p. 225 Müller: '(Pollio Asinius) primus omnium Romanorum aduocatis hominibus scripta sua recitauit' et Vita Lucani p. 50, 5 Reiff.: '(Lucanus) ciuile bellum . . . recitauit'. De Lucano aliorum carminum admiratore cf. Vita Lucani p. 50, 6 R. — Interest meminisse quae de Seneca dicuntur 58, 25 'sero cognouit et Senecam, sed non ut caperetur eius ingenio'; nam manifesta intercedit necessitudo inter hoc iudicium et illud Quintiliani quod legitur in illa Graecarum et Latinarum litterarum censura¹⁾ X 1, 125—131; praecipue conferenda 130: 'uelles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contempsisset consensu potius eruditorum quam puerorum amore comprobaretur'. Similiter cum uitae scriptoris iudicio omnino conspirat illud Quintiliani X 1, 94 'Multum et uerae gloriae quamuis uno libro Persius meruit. Sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur'.

Iam de omni expositionis forma dicendum erit. Etenim non esse ex scholiis congestam hanc uitae enarrationem Augustus Reifferscheid ostendit (Suet. p. 396). Neque uerum id quod hic putauerat, excerpti figuram exhibet uita; nam nihil desideratur ad intellegendum sensum. Nam quod quis potuerit dicere, desiderari in hominum nominibus explicationes²⁾ ueluti ad Seruilius Nonianum, Calpurnium Staturam, Petronium Aristocratem Magnetem, respondendum est, non ita breuiatorem procedere ut quae necessaria sint ad intellegendum omittat, sed nomina ipsa hominum quos nouisse posteriorum non interesset, omittere debebat excerptor. Neque rectius quispiam, ut excerpti forma probaretur, attulerit elocutionis genus, sententias dico iuxta positas nusquam fere iunctas particulis, enuntiata concisa, uerba ubique in initio enuntiatorum posita uelut 'natus', 'studuit', 'amicos habuit', 'fuit', 'reliquit', 'scriptitauit', 'scripserat', 'decessit', unde appareat breuiatoris studium quo omni concinnitate ac lepore dictionis posthabitis necessaria tantum atque sententiam maxime significantia legentibus proponere uoluerit. Nam tum possumus et didascalias et *ὑποθέσεις* quae dicuntur Alexandrinorum excerpta esse dicere,

1) cf. I. V. V. Claussen, Quaest. Quintil. Fleck. Jahrb. Suppl. VI (1872) p. 357 sqq.

2) de uiris, quorum nomina occurrunt in uita, Otto Iahn disputauit (proleg. p. VIII); de Seruilio Noniano cf. Franciscus Buecheler Rh. M. 42 (1887) 473.

quae omnes ita comparatae sunt, ut sententiae altera alteri subiectae sint nulla iuncturae iucunditate inter se conexae, praepositis uerbis *ἐδιδάχθη ἐχορήγει προλογίζει*. Sed quod didascalias nominauimus quas grammatici Alexandrini editionibus scriptorum addebant, in rectam incidisse uiam uidemur. Solebant enim grammatici Alexandrini, quos scriptores ederent, eorum uitas componere editionibusque praefigere. Qua in re Aristotelicorum instituta cum continuauissent, certum eos excoluisse expositionis schema Frid. Leo docuit (l. s. p. 130), dicendi uero genus peripateticorum dictionis illecebris ornatum adeo eos reliquisse, ut omisso omni quo delectarentur legentium animi lepore ac nitore res ipsas significasse satis haberent. Iam uidendum erit, si quae similitudines intercedant inter Persii uitam Valerio Probo adtributam et Alexandrinorum rationem. Cuius inter proprietates praecipua cernitur haec, ut diligentissime obseruatum sit quibus quisque usus fuerit magistris, ad cuius doctrinae uel uiri exemplum ingenium formatum sit (conf. Leo p. 18 sqq.). Atque simili plane studio in uita Persii sedulo adnotatur quibus magistris usus sit, quos uiros uelut rectores atque ingenii formatores secutus sit. Necnon ab Alexandrinorum consuetudine petita est accurata illa temporum definitio, quo natus esset poeta et mortuus (Leo p. 19). Deinde nec dispositionis Alexandrinorum partes sollemnes (Leo p. 130) desunt uelut parentum nomina (58₉₋₁₁), studiorum ratio et cursus (58₁₂₋₁₇), qui fuerint magistri uel amici (58₁₃—59₅), τὸ εἶδος (59₆₋₉), quantum possederit bonorum quaeque testamento legauerit (59₁₀₋₁₅), scriptorum enumeratio (59₁₆₋₂₃), quantam sibi comparauerit gloriam (59₂₄₋₂₅), cf. Leo p. 28; 30. E more eorundem Alexandrinorum fuit ut, quo magis elucerent morum atque indolis proprietates, eas exprimerent singulis maxime et significantibus uocabulis, ueluti legimus in uitis *ἐγένετο δὲ καὶ θεωρηλῆς* (Leo p. 67; 133). Atque eadem ratio conspicua est in uita Persii (59₆): 'fuit morum lenissimorum' (59₉), 'fuit frugi' *σώφρων* (Cic. Tusc. III 8, 16), 'pudicus' *αἰδήμων*. Oriebatur praeterea ex certo illo discriptionis schemate mos, ut uerba in principio collocarentur quasi inscriptions et tituli eius partis quae sequeretur (Leo p. 134), id quod non minus obseruatur in uita Persii, ubi in principio enuntiati leguntur 'natus' 'decessit' 'pater' 'studuit' 'amicos habuit' 'fuit' 'reliquit' 'scriptitauit'.

Ratione atque consilio quibus conscripta sit uita Persii expositis nunc de proprio scriptoris genere dicendi agendum erit.

De Valerii
Probi genere
dicendi

Atque primum, si quidem de Valerio Probo auctore quaerimus, de huius sermone disputabimus. Atque ille repetuisse uidetur, quod erat eius de incorrupta Latinitate iudicium, uerba ex antiquo sermone quae sprete a recentiorum polito genere dicendi in uulgarem consuetudinem deciderant, ueluti utebatur uocabulo 'donicum' (Charis. GL I 198, 12 K), quod ueteres plerumque dixerant (Neue, Formenlehre II 970; Dräger, Histor. Syntax, Leipz. 1882² II 611 sqq.¹); S. H. Schmalz, Arch. f. lat. Lex. VI 335), et ex primi saeculi scriptoribus qui uulgari usi sunt sermone, uelut Scribonius Largus et Vitruuius et qui temporibus Aureliani fuit Iulius Valerius (p. 25, 1; 78, 14; 103, 26 Kuebler). Vulgaris deinde sermonis sunt frequentatiua uerba uelut 'raptatur' (Seru. ad buc. VI 76). Ex eodem genere adsumptum est uocabulum 'percontari' (Don. Andr. V 3, 4₃; Gell. XIII 21, 3), quod Latini non nisi demisso stilo admittebant. Porro ex uulgari sermone repetita est locutio 'iuxta esse', quam in adnotatione Seruii ad Aen. X 182 'Probus „adiiunt adiacent et quasi iuxta sunt“ tradit' neque Otto Ribbeck (prol. p. 146) neque Iulius Steup (p. 110), qui eam ad situm locorum retulit, recte intellexerunt. Probus autem cur Caeretani auxilia adiecisse dicantur declaraturus eos et finitimos esse dicit ('adiacent') et uinculo quodam coniunctos esse uel societatis uel affinitatis ('iuxta sunt'). Cuius locutionis apud Latinos exemplum est Suetonianum illud (Calig. 10): 'tantique in auum et qui iuxta erant obsequii, ut non immerito sit dictum etq's'. Graeci *μετά τινος εἶναι* dicebant. Eadem ratione qua hic particula 'quasi' posita est, Probus dixit (Donat. ad Andr. V 3, 4): 'est autem ain quasi aisne' (cf. Gell. VI 10, 3: 'capio quasi captio'): uidelicet non ad similitudinem quandam exprimentam, sed prorsus ad congruentiam. Graeci ita in explicandis rebus *ὡς* usurpabant. Vulgaris denique sermonis est illud 'propter scribendi facultatem' GL IV 271, 4 K in praefatione commentarii de notis, ubi editor Probianum sermonem parum intellegens et ad perpolitae Latinitatis regulam accommodaturus 'difficultatem' scripsit, siquidem

1) id quod Dräger affirmat 'donicum' non nisi indicatiuo modo accommodari, non procedit, si quidem in glossis legitur CGL V 16, 28 'donicum eiuem: donec refutem'; et Valerius Probus *παράφρασι* usus non nisi coniunctiuum modum ponere debuit: 'non eam usque uolo amare "donicum effligit" id est frangatur puella atque exanimetur. Quam *παράφρασι* uerbi Naeuiani cum poneret Valerius Probus, Aristarchi sequebatur exemplum, cuius *λέξεις* Homericæ circumferebantur, sicuti apparet ex schol. Venet. A ad B 435 *ΜΗΚΕΤΙ ΝΥΝ ΔΗΘ' ΑΥΘΙ ΛΕΓΩΜΕΘΑ* · οὕτως αἱ Ἀριστάρχου λέξεις ἐκ τοῦ B τοῦ Ἰλιάδος · ΔΗΘΑ πολὺν χρόνον ΑΥΘΙ αὐτοῦ ΛΕΓΩΜΕΘΑ συναθροισόμεθα.

Cicero Caesar Vergilius praepositionem 'propter' posuerint ad declarandam causam, non ad finem ostendendum; licet ueteres (Sallust. Iug. 100, 1) et posteriores (Iustin. 11, 7, 4) ita dixissent (Dräger, Syntax I 590), ita ut in ueterum usu et in uulgari consuetudine 'propter' omnino idem ualeret atque Graeca particula *ἐνεκα*. Etenim in uniuersum constat, Graeca uerba et dictiones ex Graeci sermonis exemplo figuratas, quas qui polite scriberent diligenter uitabant, plurimas fuisse in Latinae gentis uulgari sermone et in litteratorum cottidiano usu. Valerius autem Probus minime Graecis uocabulis abstinebat, quippe qui *ἀπίθανον πλάσμα* dixerit (Seru. Aen. XI 554), neotericum (Seru. Aen. XII 605), 'calamitas *παρὰ τὴν καλὰμην*' (Don. Hec. prol. I 2, 3), 'in perfecto quod pro *παρακειμένον* et pro *ἀορίστον* habemus, nam *αμαυί περιλήγη καὶ ἐφίλησα* significat, similiter feci *πεποίγη καὶ ἐποίησα*, uidi *ἑώρακα καὶ εἶδον*' (Prisc. GL II 445, 21 K), 'manduco *μασσῶμαι* edo *ἐσθίω*'¹⁾ (Diom. GL I 364, 28 K). Itaque ne miremur Probum in ceteris quoque usum esse uocabulis Latinis illis quidem, sed ex Graeca ratione potius positus, ueluti sub illo 'aliud agens' quo Probus utitur (Seru. Aen. I 21) pro eo quod est 'egressus ex argumento' — qui significatus a ratione Latina alienus est²⁾ — latere apparet Graecam uocem *ἀλλότριον* 'ab argumento alienum', cf. Plut. Timol. 14, 15 'ταῦτα μὲν οὖν οὐκ ἀλλότρια τῆς τῶν βίων ἀναγραφῆς οὐδὲ ἄχρηστα δέξειν οἴομεθα'. Et ad Aen. IX 371 'sublustris nox est habens aliquid lucis'³⁾ is dixit cuius menti frequentissimum illud Graecum 'ἔχων' obuersabat. Nempe non obliuiscimur Probum ortum in terra Graeca Graeco sermone inde a puero usum esse. Atque hac excusatione dixit (Seru. ad Aen. IV 418): 'Si hunc uersum omitteret, melius fecisset'⁴⁾; nam simili ratione Graeci imperfectum ponebant, ueluti Xenoph. Anab. 6, 6, 24: 'εἰ δὲ σὺ ἦγες, εὖ ἴσθι ὅτι οὐδὲν ἂν τούτων ἐποίησα' (Kühner-Gerth II 2, 470 sqq.); et

1) de Graecis uocabulis interpretationis loco adscriptis in Charisii et Prisciani artibus egit Ioannes Tolkiehn, Woch. f. klass. Phil. 1907, p. 1020 et Berl. phil. Woch. 1908, p. 1163.

2) Quo magis appareat Probiana locutionis nouitas, uerba posui alterius scriptoris Latini simili in argumento, Quintiliani uidelicet XI 2, 11: 'quod more poetis frequentissimo digressus in laudes Castoris ac Pollucis exierat', ubi mirus sane est et sententiae et uerborum consensus cum Probiano 'sed Vergilius amat aliud agens exire in laudes populi Romani'.

3) haec Probi esse uerba confirmatur scholio Veron. ad Aen. X 369: 'Probus hic posuit aptissimum exemplum etqs'.

4) in quo dicto offenderat Bern. Kuebler (l. s. p. 18 adn. 4) tamquam Berytio indigno.

etiā nunc Italus recte dicit: 'se giungeva al tempo stabilito, l'avrebbe visto', id quod nos deducit ad cottidianam ueterum Latinorum consuetudinem, sicuti Plautus dixit Rud. 495 et 590: 'si inuitare nos paulisper pergeret, ibidem obdormissemus'. Grammaticus uero Latinus ita dicere non debebat, et meminimus opprobrii infantiae quod in Berytium mouerat Suetonius (cf. p. 28). Atque omnino in praefatione commentarii de notis deprehenditur paupertas quaedam eloquii et asperitas. Nam quod dixit (GL IV 271, 3 K) 'pro uoluntate fit' optime quidem hoc fecit, sed minime recte dixit (271, 4) 'pro usu publico fit' et 'pro obseruatione communi fit', quae contra Latini sermonis ueritatem figurauit ex primo illo 'pro uoluntate', quod praeterea iterum legitur 271, 11. Eandem paupertatem ostendunt uerba in tam exiguo ambitu repetita 'comprehenderent' 271, 6 et 'comprehendere' 271, 11, sicuti in uerbis Probi a Gellio II 6₅₋₈ descriptis locutio 'procul dubio' minimo spatio intermisso reposita est (cf. Seru. buc. VI 76 'sine dubio').

Probianae igitur elocutionis proprietate enarrata quaerendum est num eadem conspicua sit in uitae Persii dictione. Atque qui hanc conscripsit, ex prisca et uulgari consuetudine adsumpsit figuram frequentatiuam uerbi 'scriptitare' (59, 16 B), quamuis poetam non intentiore quadam diligentia scriptioni deditum significauerit, sed prorsus contrarium dixerit 'scriptitauit et raro et tarde'. Eiusdem generis est illud (59, 26) 'decessit uitio stomachi'; nam uocabulum quod est 'uitium' ea qua hic positum est significatione 'morbi' ab elegantioribus repudiatum in uulgari maxime et in medicorum sermone propagabatur. Cato, Varro, Scribonius Largus, Vitruuius eo usi sunt. Eodem pertinet figura uerbi 'coepisse' coniuncti cum infinitiuo, qua circumscriptione aoristi Graeci uis exprimeretur, cuius exempla in uita Persii leguntur (58, 15) 'coepit uti', (59₂₄) 'diripere coeperunt'. De uetere ac uulgari locutione 'ludos facere' supra dictum est p. 47. Praeterea locutiones leguntur non raras quae, ut in communi non erant usu, sic uirum demonstrant qui Graeco sermone potius assuetus Latina ex Graeca ratione ponebat. Quo in numero est illud (58, 11) 'extulit' id est 'sepeliuit', quod sane Latinum est neque tamen hac significatione facile inuenitur nisi addito 'funere' uel 'mortuum'. Et re uera posteriores uitae Persii interpretes hanc uocem non intellexerunt¹⁾, Graecis uero haec uox ἐκφέρειν

1) nam ita legitur in uita Persii cod. Bernensium (E. Kurz, Die Persius-scholien nach den Berner Handschriften, Burgdorf 1889 p. 23): 'Fuluia Sisennia

hac significatione sepeliendi trita erat inde ab illo famoso Hipponacteο 'ὄταν γαμῆ τις κάκφερη τεθνηκυῖαν', et omnino in communem abierat sermonem (Acta apost. 5, 9 'καὶ ἐξοίσουσί σε' cf. 5, 6). Prorsus singulari quodam usu est illud (59₇) 'fuit pietatis erga matrem . . . exemplo sufficientis', ubi 'sufficiens' idem ualere apparet atque 'abunde sufficiens' 'maxime idoneum' 'egregie aptum'; qui uocis usus quamuis omnino non inusitatus, tamen non ita frequens est in litteris Latinis. Atque omnium quae inueniuntur proxime ad hanc figuram accedit locutio Curtii Rufi hist. Alex. VIII 4, 10: 'multiplicato labore sufficientem malis, (quis) ipsi cesserant, regem deserere erubescabant'. Id uero obseruandum est hominem Latinum fere ubique hanc uocem adhibere in re mala atque molesta, ueluti Sueton. Vitell. 13: 'epulas . . . quadrifariam dispertiebat . . . facile omnibus sufficiens uomitandi consuetudine'. Tamen apparet quantum intersit inter 'sufficiens calamitati' id est 'obsistere ualens' et 'sufficiens laudi', quod idem ualeat atque 'adeo praestare ut laude dignus sit quispiam' id est 'per se sufficiens laudi'. Quae significatio ab usu Latino aliena esse uidetur, nam idem Curtius Rufus tali in re non 'sufficiens' ponere satis putauit, sed 'abunde sufficiens' ueluti III 6, 19 'aetas quoque uix tantis rebus matura, sed abunde sufficiens'. Iam apparet hanc locutionem 'pietatis exemplo sufficientis' singularem illam quidem in litteris Latinis¹⁾ referendam esse ad usum uocis Graecae *ἱκανός*, de cuius significatione 'dignus, idoneus, abunde sufficiens' conferas imprimis usum scriptorum Veteris Testamenti (Edw. Hatch, A concordance to the Septuagint, Oxford 1897 I p. 683); quae significatio praeterea comprobatur adnotatione Corp. Gloss. Lat. II 331, 42 '*ἱκανός* sufficiens idoneus'.

Sicuti Valerius Probus in praefatione commentarii de notis ex praecedente illo 'pro uoluntate' insolentiora illa figurauerat 'pro usu publico' et 'pro obseruatione communi', ita uitae Persii scriptor, sicuti 58, 15 dixerat 'amicitia uti', infra 58, 26 finxit 'usus est conuictu' quod nullus unquam dixit scriptor Latinus (cf. Thesaur. ling. Lat. s. u. conuictus). Eandem paupertatem

mater eius nupsit postea Fusio equiti Romano, qui Persium quoque extulit et nutriuit intra paucos annos'. cf. cod. Bern. 539 excerptum (l. s. p. VI) 'Persium de Tuscia natum, Romae ex puero nutritum et de equestri ordine fuisse cognoscimus'.

1) Quint. inst. orat. I 9, 3 'quod opus etiam consummatis professoribus difficile, qui commode tractauerit, cuiuscumque discendo sufficiet.' cf. inst. II 1, 6.

ostendunt particulae 'ita ut' similia in tam breui narrationis spatio saepius repetitae 58, 16 'ita ut', 23 'adeo ut', 25 'sed non ut', 59₄ 'ita ut'. Neque illa ieiunitate quam adfectabant grammatici hoc in genere, excusantur quae 58, 9 leguntur: 'pater eum pupillum reliquit moriens annorum fere sex', quae asperitate laborant et ambiguitate; quae quidem sublata erit, si participium 'moriens' ita arte coniungatur uerbo 'reliquit', ut unam quasi appellationem expriment duo uerba ('κατέλιπε θανάων'), qui usus in Graeco sermone miro modo latius patebat quam apud Latinos (D. Augustus Matthiae, gram. Graec. (1835) pars II § 557 sqq. p. 1294).

Proprietates igitur sermonis in eo maxime contineri uidentur, quod scriptor uocabula tum prisca tum uulgaria inferre non dubitauerit, quod uerbis usus sit quae ex ratione Latina speciosa sint ac potius recondita, ex Graeca uero ratione triti ac frequentis usus. Unde agnoscitur scriptor Latina uerba dedita opera capessens, cuius in mente insederit forma Graecae originis. — Quae ratio omnino Valerii Probi generi dicendi accommodata est.

De uitae
Persii addi-
tamentis

Iam de additamentis agendum erit quibus uita Persii interpolata est a posteris. Atque primum (59₂₇—60₂ B) quae in ^{66, 10-18 Leo} epimetro perhibentur, Cornutum carmina Persii correxisse, ea in ipsa uita quamuis concisis uerbis tradita esse iam supra monuimus (p. 47); unde apparet ea huc translata esse ex libro aliquo, quo de eodem argumento disputatum erat idque copiosius. Atque remotum esse non aliquantum a uitae ipsius ieiunitate huius epimetri dicendi genus et concinnitate quadam et elegantiae studio compositum esse iam animaduertat Augustus Reifferscheid (Suet. p. 397), qui suspicatus erat (p. 398) Suetonianae uitae fragmentum hic seruatum esse. Quam sententiam Gustauus Körtge dictionis Suetonianae uestigiis apertis confirmauit.

Altera illa quam Bergkio duce secludere solent editores interpolatio inserta est p. 58 ^{66, 1-3 Leo} 21-23: 'nam Cornutus illo tempore tragicus fuit sectae poeticae qui libros philosophiae reliquit'; quibus sub uerbis latere intellexit Nemethy (Persii edit. Budapest 1903): 'Cornuto traditus fuit sectae stoicae philosopho cui libros reliquit'; qua in re, quod Cornutus stoicae disciplinae deditus esse traditur, id uitae scriptor non docuerat, Persius uero Cornuto usus esse magistro eique bybliotheam reliquisse in ipsa uita perhibetur. Itaque hoc quoque additamentum ex copiosiore uita adsumptum esse uidetur neque longe a ueritate aberrauerit is qui haec Suetonii uerba esse duxerit. De uerbis 'sectae stoicae philosopho' cf.

Suet. gram. 8 'studio Epicureae sectae'; gram. 18 'transiit ad Q. Sexti philosophi sectam'; rhet. 4 'quod consularis Isaaurici sectam sequeretur'.

Quae uitae Persianae condicio inlustratur simili statu uitae Terentianae, quam ex Suetonii libro translata commento Donatiano praepositam hodie legimus; nam subiectum est epimetrum quoddam de homonymis, de fide fabularum num recte ad Terentium referantur, quae secutus sit exempla Graeca, quomodo successerit poetae ars musica. Quae cum omnino ex ratione Alexandrinorum disputata essent, Leo (l. s. p. 12) affirmare non dubitavit haec ex Valerii Probi uita Terentiana sublata esse. Quod si uerum est, Donatus Terentii uitam Suetonianam quam in suum usum conuerterat, suppleuit ex Probianae uitae memoria. Atque consimilis quaedam compensatio facta esse uidetur Persii uitarum Probianae et Suetonianae, ita ut illa breuior de Cornuto stoico notitia suo loco in margine adscripta sit, longior illa expositio de Persio Lucilii aemulo et Neronis insectatore, de Cornuto carminum discipuli castigatore, toti uitae subiecta sit. — Num igitur eae quae nunc leguntur interpolationes meram ostendunt memoriam Suetonianam? Non ita; nam is qui posteriore aeuo uitam Persii iterum descripsit, eam quam inuenerat adnotationem margini adscriptam textui inseruit et suo ingenio usus uerba adaptauit reliquo uitae tenori. Atque primum illi quod Suetonium scripsisse apparet 'Neronem principem' (cf. Suet. rhet. 1), proprium significatum 'principis' non iam intellegens ex sui temporis ratione addidit 'illius temporis'¹⁾; idem interpolator illud quod perperam legerat: 'nam Cornuto tragicus fuit sectae poeticae philosopho cui libros reliquit' ueram Latinitatem restituisse sibi uisus scripsit: 'nam Cornutus tragicus fuit sectae poeticae qui libros philosophiae reliquit', et eodem modo quo ad Neronem principem addiderat 'illius temporis', nunc inseruit 'illo tempore'. Denique quo uerba iucundius transirent ad sequentia, posuit illud 'sed' eodem modo quo iuncturae gratia in principio epimetri posuerat 'sed mox'. Neque tamen in hoc constitit interpolator; nam adnotatione ad sat. I 1 parum diligenter lecta addidit illud 'cuius libri principium imitatus est'; cf. Frid. Marx ad Lucil. 383.

Iam huius disputationis summa facienda est. Etenim a Suetonio haec uita conscripta non est propter uerba illa (59₁₆) 'hunc

De Persii
uitae auctore

1) Locos quibus apud Iuuenalis interpretem leguntur uerba 'illius temporis' 'illo tempore' excerpit Iustinus Woehrer, De A. Cornelii Celsi rhetorica, diss. Vindob. VII (1903) p. 83.

ipsum librum imperfectum reliquit' quae hanc uitae enarrationem coniunctam esse indicant cum ipsius Persii libri editione, quam Suetonius non curauit. Neque post Suetonium omnino probabile est scriptam esse uitam ideo quod grammatici, si qua opus erat uita in commentando uel edendo poeta, non nouas uitas conscribebant, sed ex Suetonii libro sibi sumebant, sicuti fecit Donatus cum commentum scriberet in Terentium et Vergilium. Et omnino, id quod grauissimum est, ea Persii memoria qualis in uita exstat, nisi breui post poetae mortem colligi potuisse non uidetur. Itaque statuendum erit uitam scriptam esse a grammatico temporibus Persii proximo (cf. Otto Iahn, prol. CXXXVI), qui Alexandrinorum instituta in edendo libro et conscribenda uita secutus sit. Quae omnia Valerium Probum ueluti digito demonstrant. Accedit quod sermo omnino accommodatus est dicendi generi Berytii. Cum praeterea traditum sit Valerii Probi nomen tamquam auctoris uitae, de Berytio Persii uitae scriptore et carminum editore dubitare non licet¹). Nam recensum esse librum Persii a Valerio Probo comprobatur loco Diomedis GL I 373, 1 K: "piso pisas" et est apud Persium (I 58) ambiguum "a tergo ciconia pisat" an "pisit" legendum sit. sed apud ueteres reperimus etiam n littera addita "pinso" quod est "tundo" et "pinsit" secundum tertium ordinem, ut Ennius decimo annalium (351 Vahl.) "pinsunt terram genibus". huius perfectum "pinsui", ut apud Pomponium (188 Ribb.) "cum interim neque malis molui neque palatis pinsui". Quae uerba editorem Persii aperte ostendunt (Ludouicus Ieep, Priscian. Philol. 67 [1908] p. 36 adn. 44), quem Probum esse uersu Pomponii confirmatur exempli loco allato, qui iterum affertur a Prisciano GL II 535, 21 K addito nomine Probi: 'pinso pinsui facit perfectum, quod Probus usu Pomponii comprobatur: "neque malis molui neque palatis pinsui". Quod praeterea legitur apud Diomedem 'pinsit secundum tertium ordinem', id mirum in modum inlustratur obseruatione Aldhelmi (A. Mai, classic. auctor. tom. V Romae 1833 p. 538) . . 'tertiaie coniugationis uel tertii ordinis, ut Valerio grammatico uocare libuit'. Nam quod Valerium dixit Aldhelmus, quin de Valerio Probo (quem 'Probum Valerium' iam Gellius dixit XIII 21, 1) agatur dubitandum non est, sicuti in codice Lauant. 24 (GL V

1) De scholiorum origine post C. F. Hermann et Ottonem Iahn egit E. Kurz, Die Persiusscholien nach den Berner Handschriften, Burgdorf 1889 p. VII sqq. M. Manitius Phil. 1905, 567—569; cf. praeterea Paulus Wessner Bursian. Jahresber. (1908) 138 p. 182 sqq.

325, 25 K) 'Valerius' dictum est, ubi de Valerio Probo Berytio
agi credendum est (Frid. Vollmer, Philolog. Suppl. X 267).

Postquam igitur operam quam impendit Valerius Probus ^{Iudicium de Probo}
recensendis tractandisque scriptoribus persecuti sumus, ratio fert
ut iudicium faciamus de uiro cui fama posterorum fuit *ἔξοχ'*
ἀνθρώπων. Qua in re ita procedere uisum est, ut primum
rationem quam secutus esset grammaticus in emendandis scripto-
rum uerbis perpenderemus, postea interpretationis existimationis-
que officio, quod in grammatica summum esse Dionysius dixerat,
quomodo functus esset cognosceremus.

Atque praeclarum quo omnis Probi ratio ac uoluntas intelle-
gatur in tractandis scriptoribus testimonium exstat apud Gellium
I 15, 18. Nam legebatur in Sallustii Catilina 5, 4 'satis elo-
quentiae, sapientiae parum'; quod iudicium cum faceret de uiro
historicus, usus esse uidetur *ἀντιθέσεως* genere in tali re minime
insolito in litteris Latinis, cuius consimilem figuram profert
Quintilianus X 1, 95, cum Varronis laudem restringeret: 'plus
tamen scientiae collaturus quam eloquentiae'; ceteros litterarum
Latinarum locos qui huc pertinent collegit E. W. Fabri, C. Sallusti
Crispi opera, Nürnberg 1845 ad hunc locum. Valerius tamen
Probus non 'eloquentiae' sed 'loquentiae' legere coepit et sic a
Sallustio relictum esse adfirmavit. Cuius emendationis causas
attulit duas, alteram quod 'loquentia' nouatori uerborum Sallustio
maxime congrueret, alteram quod 'eloquentia' cum insipientia
minime conueniret. Ex eo uero quod eloquentiae uocabulo non
apte designatam esse dixit insipientiam, intellegitur eum agnouisse
in locutione Sallustiana 'contentionis' quam dicunt Latini figuram;
et omnino hoc potissimum argumento ductum esse Probum ut
traditum illud 'eloquentiae' mutaret scriberetque 'loquentiae', in-
tellegas cum consideraueris quid effecerit mutata locutione.
Effecit enim, ut clarior promineret illa *ἀντιθεσις* qua insipientia
loquacitatis ab historico contraria posita esset sapientiae. Verum
hoc monendum est hac in re: neque Sallustium uocem loquentiae
nouauisse, id quod affirmavit Valerius Probus, neque ipsum gram-
maticum felici coniectura eam assecutum esse; nam Iulium Can-
didum argute hoc uocabulum finxisse eoque uti solitum esse
supra intelleximus (p. 31). Iam quomodo uersatus sit Valerius
Probus in tractandis uerbis Sallustii intellegitur. *Σήματα* igitur
dictionis explorabat ad Dionysii Thracis se conformans uolun-
tatem, qui in partibus grammaticae numerauerat eam quae uocatur
ἔξήγησις κατὰ τοὺς ἐννιάρχοντας ποιητικοὺς τρόπους. Suppeditata

of H. Heine Sal.
Text 33

uero ex sui aevi usu noua illa locutione 'loquentia', qua significantius exprimi posse uideretur illa quam in Sallustio agnouerat contrapositi figura, non haesitabat illam quae tum demum temporis innotuerat uox, in ueteris historici uerbis substituere. Submoto igitur quod traditum erat uocabulo eo procedit audaciae atque securitatis, ut Sallustium ipsum uocabulo feliciter ficto ita scripsisse contenderet. Quam praeterea coniecturam, quamuis ingeniose esset excogitata, tamen necessitatem non habere dudum Iulius Steup uiderat (l. s. p. 130). Itaque minime laudandus hac in re uidetur Valerius Probus qui uerba tradita mutare non debebat. Sed latius patere uidetur temeritas critici. Nam ita parum circumspecte in speciosam hanc coniecturam irruit, ut ueram Catilinae imaginem dilueret. Neque enim, id quod Fridericus Kritzius (C. Sallusti Crispi opera quae supersunt, Lips. 1828 I p. 29) iam obseruauerat, insipiens fuit ille neque temere loquax quod Valerius Probus uoluit, sed magna pollebat persuadendi uis, sicuti Sallustius ipse testatur orationibus quas ab illo habitas fingit c. 20 et 58 operi insertis.

Iam agendum erit de uersibus Aen. VIII 405/406 'optatos dedit amplexus placidumque petiuit coniugis infusus gremio per membra soporem'. Atque imitatus est Vergilius hoc loco Lucretii praeclaros uersus prooemii 33 sqq.:

in gremium qui saepe tuum se
reicit aeterno deuictus uulnere amoris,
35 atque ita suspiciens tereti ceruice reposita
pascit amore auidos inhians in te dea uisus,
eque tuo pendet resupini spiritus ore.

Nec te fugiet uersum Vergilii paulo superiorem (394) 'tum pater aeterno fatur deuinctus amore' factum esse ex exemplo Lucretiani 34, similiter Vergilianum (633) 'tereti ceruice reflexam' ex Lucretiano 35 'tereti ceruice reposita'. Quo Vergilii cum Lucretio consensu comprobatur lectionem 'coniugis infusus gremio', quibus uerbis Vergilius reddidit Lucretianam imaginem 'in gremium qui saepe tuum se reicit', ueram esse atque a Vergilio ita uerba esse relicta. Quo tamen de loco, quem ut recte intellexerent uehementer laborauerunt grammatici antiqui, quae fuissent sententiae interpretum, conlectae leguntur apud Seruium ad Aen. VIII 406: 'CONIUGIS INFVSVS GREMIO hoc est ante concubuit et sic quieuit. Probus uero et Carminius propter sensum cacenphaton "infusum" legunt, ut sit sensus: dormiit cum coniuge dormiente, id est petiit soporem infusum etiam coniugis gremio.

alii 'infusus' legunt, ut significetur coisse illos et sic sopitos, et uolunt esse emphasin coitus: nam 'infusum gremio soporem' nihil esse dicunt. multi autem cacemphaton accipiunt, ne duo epitheta uideantur 'placidum' et 'infusum'. alii figurate accipiunt 'placidum per membra' pro eo quod est 'placidum membris'. Qui fuerint illi critici accuratius licet determinare, eorumque sententias ex temporum ordine quo altera alteram deinceps secuta sit referemus. Nam illum qui figurate accepit 'placidum per membra' pro eo quod est 'placidum membris' intellegitur fuisse Cornutum ex iis quae apud Gellium scripta sunt IX 10₅₋₆: 'Annaeus Cornutus . . . in secundo . . . librorum quos de figuris sententiarum composuit, . . . cum genus hoc figurae probasset et satis circumspecte factos esse uersus dixisset, 'membra tamen', inquit, 'paulo incautius nominauit'; unde id quoque cognoscitur Cornutum fuisse primum qui cacemphati suspicionem moueret. Contra quam reprehensionem defensor exstitit Probus, sed crimine poetam purgaturus modum non seruauit. Nam docuit ita poetam non de concubitu cogitauisse, ut coniugem dormientem significasset. Quam sententiam ut probaret, uerba Vergilii quae obstare uiderentur, mutare non ueritus 'infusum' legere praecepit, ut esset sensus: 'Volcanus petiit soporem infusum etiam coniugis gremio'. Contra Valerii Probi castigationem uerba et sensum defendit tertius interpres, cuius sententiam seruauit Seruius auctus: 'alii "infusus" legunt, ut significetur coisse illos et sic sopitos, et uolunt esse emphasin coitus'. Quem criticum eundem esse atque auctorem capituli Gelliani IX 10 ex eo intellexeris, quod affirmauerat ille interpres Seruianus uerba Vergiliana emphasin esse coitus. Nam figurae emphasis uim atque naturam et alii declarauerunt et Quintilianus VIII 2, 11: 'Possunt uideri uerba quae plus significant quam eloquuntur in parte ponenda perspicuitatis; intellectum enim adiuuant. Ego tamen libentius emphasim retulerim ad ornatum orationis, quia non, ut intelligatur, efficit, sed ut plus intelligatur.' Quam declarationem si consideraueris, tibi persuadebis tali emphasis excusatione Vergiliana uerba defensa esse ab illo Gellii auctore, qui laudat Vergilium quod Volcanum et Venerem iunctos mixtosque iure coniugii, uerecunda quadam translatione uerborum cum ostenderet demonstraretque, protexerit ipsumque concubii secretum eidentibus quidem ac tamen non praetextatis uerbis designauerit. Unde efficitur deceptos esse Paulum Kretschmer (de auctoribus A. Gellii grammaticis 1860 p. 91) nec

non qui hunc secutus est Carolus Hosius (praef. edit. Gell. p. XL), qui disputationem illam Gellianam ad Probum tamquam auctorem retulerunt. Neque recte Henricus Nettleship (Americ. Journ. of philol. IV [1883] 405) de Asconio cogitavit, si quidem post Berytium fuit ille criticus Gellianus et Seruianus, qui Probi emendationem 'infusum gremio soporem' 'nihil esse' pronuntiauisset.

Valerius igitur Probus, sicuti in Sallustio, quo magis laus figurae contrapositi eluceret, uerba historici mutare non dubitauerat, nunc prorsus eadem usus ratione, ne uitium cacemphati in Vergilio esse uideretur, 'infusum' legere praecepit. Qua in re quamuis peruerse functus esset officio diligentis critici, tamen, si grammaticam respexeris rationem, non leuiter rem absoluit. Nam praeclare censebat dici posse: somnum gremio infundi tamquam liquorem, et praeue criticus ille eum in hoc reprimat; siquidem Persius (sat. 5, 56) dixit 'hic satur inriguo mauult turgescere somno'; ubi commentator addidit: 'ut Vergilius dixit somno irrigari corpora', uersum Aen. III 511 intellegens 'fessos sopor irrigat artus'. Praeterea ne ut criticus quidem omnino temere rem expediuit. Nam testimonio Seruii ad Aen. I 44 et X 303 constat Valerium Probum, aemulum hac in re Aristarchi institutorum disciplinaeque, in existimandis uerbis Vergilii uniuersam poetae consuetudinem respexisse. Atque exstant re uera simillimi quidam uersus Aen. I 691, quibus uti potuit Probus tamquam interpretationis suae exemplo argumentoque:

At Venus Ascanio placidam per membra quietem

Inrigat et fotum gremio dea tollit in altos etqs.

Atque re uera Probum hos uersus considerauisse nescio an comprobetur adnotatione Seruii aucti, quae aperte ad Probum deducit auctorem: 'INRIGAT infundit: proprie quia et somnus sic pingitur quasi cornu infundat'. Nam praeter illud 'infundit' explicationis loco positum, Valerium Probum ostendit uocabuli 'quasi' usus, quod instar Graecae particulae ὡς Probus adhibebat non in comparanda re satis simili, sed prorsus in explicandis rebus, cf. p. 50. Denique auctorem adnotationis Seruianae inde agnoscas, quod ex celebri cuiusdam picturae similitudine atque exemplo suum de uerborum usu iudicium conformat, perinde ac Probus 'tempore' legit ad Aen. I 44 (uid. infra) et emendationem suam ultro comprobatur exemplo Capanei imaginis Ardeae in templo Castoris et Pollucis depictae. — Ad Aen. XI 830 iterum Probum τοὺς ἐνπάρχοντας ποιητικὸς τρόπους

dispicentem depredimus; nam hypallagen uoluit inesse in uerbis poetae. Cum uero hic *τρόπος* positus sit in figura illa 'RELINQVVNT', haec autem nullius hodie codicis testimonio confirmetur, recte quispiam cognita iam Berytii in emendandis scriptoribus ratione uoluntateque iudicauerit hoc quoque loco Probum suo arbitrio nouam lectionem commendasse. — Proximum est ut de uersu Aen. I 44 dicamus, ubi id quod Vergilius scripserat PECTORE, mutauit in TEMPORE nulla coactus necessitate. Quamquam argumenta quibus fretus uerba poetae tetigit — nam consuetudinem poetae respexit ex Aristarchi institutis, historias obseruauit ex Dionysii Thracis praecepto — adsumpta erant ex optimae disciplinae officina, nec tamen hactenus ualebant ut uerba mutanda esse euincerent. — Quod Aen. VII 773 PHOEBI-GENAM posuit, praeclare eum ratione et uia usum ueram figuram restituisse apparet collato uersu Aen. XII 402 'Phoebi potentibus herbis' (Ribbeck prol. 139). — Deinde quod Aen. X 173 TRECENTOS subdistingui uoluit, id eo consilio eum fecisse apparet ut exprimeretur figura 'epitheti ab euentu', cuius exemplum Charisius GL I 274, 9 K attulit (Aen. II 22) 'insula diues opum Tenedos'; cf. John Leverett Moore, Servius on the tropes and figures of Vergil, Baltimore 1891 p. 18. Atque quo melius declaretur Probi uoluntas in distinguendis his uerbis, apte conferantur uerba Quintiliani VIII 6, 43: 'Sunt autem quibus non uideatur hic omnino tropus, quia nihil uertat. Necesse est semper, cum idem appositum, si a proprio diuiseris, per se significat et facit antonomasiam. Nam si dicas 'Ille qui Numantiam et Carthaginem euertit': antonomasia est; si adieceris 'Scipio': appositum. Non potest ergo esse iunctum.' — Ad Aen. X 539 Aemilius Asper recte intellexerat non agi de armis bellicis (cf. X 170... insignibus armis), quae sane non congruebant sacerdoti, sed arma dicta esse ampliore quodam significato, ad quem illustrandum posuit exemplum Sallustii (II 63 Maur.) 'equo atque armis insignibus' quae eadem esse intelleguntur atque arma equestria Liuii 35, 23; et cf. Seru. ad Aen. I 177 CEREALIA ARMA. Probum uero, cum 'arma' sacerdotibus congrua esse negaret, apparet reconditiorem illum quidem, sed usum uere Latinum uocabuli 'armorum' non nouisse. Itaque praeter audaciam qua uerba tradita poetae temptauit et ALBIS posuit, notanda est imperitia grammatici qua ueram uerborum sententiam assequi non ualuit; neque Otto Ribbeck Probi lectionem textui inserere debebat (proleg. 140 'egregia emendatio'). — Ad Aen. XII 605 Probus ratione

ac uia usus uerba poetae restituisse sibi uisus est comparata poetae consuetudine cum illa recentiorum (*τῶν νεωτέρων*). Qua in re Aristarcheae disciplinae praecepta eum secutum esse supra dictum est (p. 60) nec non supra monuimus (p. 45) Probum uerborum tempora quibus esse coepissent obseruauisse, neque tamen hac in quaestione diligenter operam nauauisse. Quid? quod Sallustium uocabulum nouauisse affirmauit quod suis demum temporibus innotuerat (p. 57)? Sic nunc quoque non feliciter res grammatico successisse uidetur. Nam non debebat sic pronuntiare: neotericum erat 'flauus', ergo bene 'floros', uel quod idem ualet in arte critica 'ergo Vergilius scripsit floros'. Neque quidquam proficit illa exemplorum silua, quamuis diligenter ac circumspecte sint ex tragicorum ueterum usu adsumpta; nam unum illud quod oportebat, non demonstrauit: Vergilium uocabulo illo quod est 'flauus' usum non esse. Quod Vergilium posuit IV 698 (uide Seru. adn.) FLAVVM CRINEM, IV 590 FLAVENTES COMAS. Qua re turbatam esse apparet omnem argumentationem Probi qua 'floros' legendum commendauerat. Neque ullius codicis auctoritate seruata est emendatio haec, 'nam quod in Leidensi m. pr. et in Menteliano pr. floros scriptum fuisse Heinsius coniecit, certum non est num antiqua memoria traditum an ex Seruio correctum' (Ribbeck prol. 139), neque recte Otto Ribbeck contra codicum consensum una Valerii Probi auctoritate fretus, expulsa tradita lectione FLAVOS, FLOROS substituit.

Iam de crisi agendum erit, quomodo Probus in ea uersatus sit. Atque Aeneidis I 497 sqq. cum Homero ζ 102 sqq. comparisonem eum instituisse (Gell. IX 9¹²⁻¹⁷) secundum anasceues praecepta in rhetorum ludis sollemnia supra dictum est (p. 13); nam priorem uituperationis partem factam esse ἐκ τοῦ ἀπιθάνου et ἐκ τοῦ ἀπρεποῦς intelleximus, altera uero uituperationis pars quae maxime in uerbis improprie et infeliciter dictis uersatur, nititur loco ἐκ τοῦ ἀσαφοῦς τοῦ διηγήματος. Tertia quoque pars uituperationis quae tamquam ἐπίλογος omni disputationi subiecta est, qua somnem florem totius loci Vergilium omisisse coarguit, ex Graeco quodam praecepto instituta esse uidetur, si quidem ipsa iudicii figura, quod 'florem loci' dixit, Graecum demonstrat exemplum, ueluti intellegitur ex Ciceronis epist. ad Attic. 16, 11, 1 'nostrum opus tibi probari laetor, ex quo ἀνθ' ipsa posuisti quae mihi florentiora sunt uisa tuo iudicio'. Atque si quaeris num recte Vergilium uituperauerit grammaticus, concedendum esse uidetur re uera poetam Latinum ad exemplum

Homeri non secunda Musa suos composuisse uersus. Id quoque concedendum est non mediocris sane subtilitatis atque acuminis futurum fuisse, si sua omnino Minerua hanc instituisset criticus comparationem ipseque inuenisset singula uituperationis argumenta¹⁾. Quod uero hanc Valerii Probi disputationem praeformato schemate tamquam per designata uestigia currere intellectum est, censurae sane uis non infringitur, tamen mirum in modum diminuitur critici laus. — Subiungenda est Aeneidis IX 369 reprehensio, quem locum contrarium esse praecedenti uersui VII 600 Probus affirmauit. Quae reprehensio ipsa quoque ex rhetorum Graecorum praeceptis instituta est; etenim apud Theonem (Rhet. Graec. II 77, 18 Sp.) haec leguntur: ὁ δὲ ἐκ τοῦ μαχομένου τόπος τοιοῦτός ἐστιν ὅταν δείξωμεν αὐτὸν ἐναντῶ μαχομένου τὸν μυθογράφον²⁾. τούτῳ δὲ χρηστέον οὐκ ἐν ἀρχῇ ἀλλ' ὅταν τι τῶν μέσων ἢ τελευταίων ἀνασκευάζωμεν, ἔπειτα καὶ ἐναντίον αὐτὸ δεικνύωμεν τοῖς προειρημένοις. — Ipsi uero Graecae disciplinae uocabulum seruatum est ad Aen. XI 554, ubi Probus de historia qua Metabus pater filiolum hastae implicuisse perhibetur a poeta, adnotauit 'ἀπίθανον πλάσμα'³⁾. Quod uocabulum Latine uersum facile agnoueris in iis quae apud Seruium tradita leguntur ad Aen. XII 83: 'unde critici culpant hoc loco Vergilium dicentes "incongruum esse figmentum" (cf. Gell. IX 9, 15 in uituperatione illa ἐκ τοῦ ἀπίθανου: 'nihil . . . quae . . . congruat'). Apte hic conferantur quae William G. Rutherford, A chapter in the history of annotation, London 1905 p. 406 sqq. collegit ex scholiis Aristophaneis quae prope eiusdem generis sunt, ueluti ad Aues 698 ΟΥΤΟΣ ΧΑΕΙ κτλ: — ἀτόπως μὲν καὶ ἀπίθανως τῇ γενεαλογίᾳ κέχρηται. Atque profecto grammaticos Graecos has partes quae rhetoricarum institutionum propriae esse uiderentur ipsos quoque exercuisse, intellegitur ex Sexto Empirico adu. gramm. § 252 sqq. p. 655: Ἀσκληπιάδης δὲ ἐν τῷ περὶ γραμματικῆς τρίτῃ φήσας εἶναι τὰ πρῶτα τῆς γραμματικῆς μέρη τεχνικὸν ἱστορικὸν γραμ-

1) cf. Ribbeck proleg. 143: 'Luculento enim exemplo est quam eleganti et acri iudicio quid pulcrum et uerum esset persenserit'; cf. Henricus Georgii Die antike Aeneiskritik, Stuttgart 1891 p. 86.

2) quod dicit μυθογράφον, uide quod infra pronuntiat doctor ille p. 78₁₂: οἱ δὲ αὐτοὶ τόποι χρήσιμοι καὶ πρὸς τὴν τῶν διηγημάτων ἀνασκευὴν τε καὶ κατασκευὴν.

3) cf. Asclepiades apud Sext. Empir. adu. gramm. § 266: οὐ εἰ καὶ ἡ ἔλλη τῆς ἱστορίας ἐστὶν ἀμέθοδος, ἡ μὲντοι κρίσις ταύτης γενήσεται τεχνική, δι' ἧς γνώσκομεν τί τε ψευδῶς ἰσθόρηται καὶ τί ἀληθῶς.

μυθικόν, ὅπερ ἀμφοτέρων ἐφάπτεται, φημι δὲ τοῦ ἱστορικοῦ καὶ τοῦ τεχνικοῦ. τριχῇ ὑποδιαιρεῖται τὸ ἱστορικόν· τῆς γὰρ ἱστορίας τὴν μὲν τινα ἀληθῆ εἶναι φησι, τὴν δὲ ψευδῆ, τὴν δὲ ὡς ἀληθῆ. καὶ ἀληθῆ μὲν τὴν πρακτικὴν, ψευδῆ δὲ τὴν περὶ μύθους, ὡς ἀληθῆ δὲ τὴν περὶ πλάσματα, οἷα ἐστὶν ἡ κωμωδία καὶ οἱ μῦθοι. τῆς δὲ ἀληθοῦς τρία πάλιν μέρη· ἢ μὲν γὰρ ἐστὶ περὶ τὰ πρόσωπα θεῶν καὶ ἡρώων καὶ ἀνδρῶν ἐπιφανῶν, ἢ δὲ περὶ τοὺς τόπους καὶ χρόνους, ἢ δὲ περὶ τὰς πράξεις. τῆς δὲ ψευδοῦς τουτέστι τῆς μυθικῆς ἓν εἶδος μόνον ὑπάρχειν λέγει τὸ γενεαλογικόν. ὑποτάσσεσθαι δὲ τῷ ἱστορικῷ κοινῶς φησι, καθὼς καὶ Διονύσιος, τὸ περὶ τὰς γλώττας· ἱστορεῖ γὰρ ὅτι κρήνην ἀληθῆς ἐστὶν ἢ ἀγαθόν, ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ περὶ παροιμιῶν καὶ ὄρων. — Praeter Probum uideas Aemilium Asprum hac in re Graecorum assecclam (fragm. L Wessner [Schol. Veron. ad Aen. X 559]: 'neque temporis neque loci habet curam', quocum iudicio conf. supra 'ἢ δὲ περὶ τοὺς τόπους καὶ χρόνους').

Proximum est ut de superuacuis dicatur siue uerbis siue sententiis. Atque ad Aen. II 173 Probo displicuerat 'salsus sudor', quamuis Ennius eadem usus esset locutione, et superuacue epitheton positum esse ei uidebatur. Qua uia in hanc abierit sententiam intellegitur ex argumentatione defensoris, qui naturalia epitheta nusquam inhoneste a poetis locari contenderit. Nam epithetorum usus certis legibus adstringebatur ab antiquis, ueluti est apud Charis. GL I 273, 24 K (= Diom. 459, 8: cf. Donat. GL IV 400, 20 K): 'epitheton est dictio uocabulo adiecta ornandi aut destruendi aut indicandi causa. ornat epitheton sicut 'dies Ulixes', destruit sicut 'scelerumque inuentor Ulixes', indicat sicut 'Larisaeus Achilles'. Quam in distributionem cum epitheton 'salsus sudor' non caderet, apparet hac de causa a Probo notatum esse. Neque uero ii qui Probum refutauerunt, non inhoneste a poeta naturale epitheton positum esse dicentes, suo Marte rem egerunt, sed ipsi quoque praecepto quodam disciplinae nitebantur; etenim apud Quintil. VIII 6, 40 de epithetorum usu haec pronuntiantur: 'eo (i. e. epitheto) poetae et frequentius et liberius utuntur; namque illis satis est conuenire id uerbo cui adponitur, itaque et 'dentes albos' et 'umida uina' in his non reprehendemus: apud oratorem nisi aliquid efficit, redundat.' Ex quo intellegitur Probum poetae et oratoris partes non discernentem nimis angusto quodam iudicio poetam reprehendisse in re poetae concessa. Ceteras Seruiani commenti adnotationes quibus epitheta male posita notantur, contulit Henricus Georgii l. s. p. 560.

Integros uersus quasi superuacuos notauit Aen. I 21/22 et IV 418. Hunc cum expelleret, Aristarchi rationem secutus esse uidetur, qui (GL VII 534, 18 K) asteriscum ponebat ad eos uersus qui in hoc puta loco positi erant, cum aliis scilicet non recte ponerentur. Nam uersus Aen. IV 418 repetitus est ex georg. I 304. Sed Probus artis criticae usu tamquam obcaecatus non sensit laeta puppium a nautis coronatarum imagine acerbitatem mirum in modum augeri in tristi Didus oratione (Ribb. prol. 142). Ad Aen. I 21 haec leguntur apud Seruium: 'et "hinc populum late regem belloque superbum uenturum excidio Libyae sic uoluere Parcas" in Probi adpuncti sunt et adnotatum "hi duo si eximantur, nihilo minus sensus integer erit, sed Vergilius amat aliud agens exire in laudes populi Romani." Tradita est lectio 'examinantur', quam Scioppius emendauit. Nam quae posterit temptauerunt 'omittantur' uel 'eliminantur', ea displicent prae illa scriptura. Etenim non de eliminandis neque de omittendis uersibus agitur, sed de 'eximendis', cuius uocabuli inter grammaticos quae fuerit propria atque restricta quaedam significatio ex Gellio intellegitur in praeclara illa comicorum Latinorum et Graecorum comparatione II 23, 8: 'uersus utrimque eximi iussi et aliis ad iudicium faciendum exponi. Menander sic Caecilius sic' Itaque grammaticus adeo non de expellendis uersibus cogitauit, ut obseruauerit uersus 23 principium ('id metuens . . .') pertinere ad uersus 20 exitum, hunc uero sensus conexum infringi quodammodo insertis uersibus 21 et 22; quos si non respexeris (i. e. 'si hi duo eximantur') sensum integrum esse; neque tamen expellendos esse hos uersus, cum Vergilii consuetudo sit, ut ab argumento digressus exeat in laudes populi Romani. Quae si recte disputata sunt, Probi adnotatio non in terminis unius sententiae 'hi duo . . . integer erit' circumscribenda erit, sed usque ad 'laudes populi Romani' eam pertinere apparet. Haec igitur adnotationis ratio cernitur ut rem minus omnimode in carmine comparatam tamen excusauerit consuetudine poetae; ad quam ceteris quoque locis grammaticum iudicium suum conformauisse nouimus, ueluti ad Aen. I 44 et X 303 et IX 811 ('quamuis consuetudo sit Vergilio ista mutandi'). Quem ad uersum haec obseruauit: (FESSOS QVATIT AEGER ANHELITVS) 'commodius hic est "aeger" quam in quinto (432) 'uastos quatit aeger anhelitus'. Qua in deliberatione sano usus est iudicio; nam recte hic 'aeger' dicitur anhelitus, cum ipse poeta supra dixerit praclusam esse respirandi potestatem, et anhelitus,

quamuis aeger sit, sufficere uideatur ad quatiendos artus pugna fessos, cum in quinto minus apte positus esse 'aeger anhelitus' uideatur, quippe qui omnino non labore certaminis praefocatus sit, neque si 'aeger' appelletur, sufficere uideatur ad percutienda uasta illa uiri membra. Itaque non recte eos iudicauisse apparet qui Probo obstiterunt et IX 811 scripturam ACER commendauerunt. — Recte denique (cf. Seru. ad Aen. V 871, VI init.) uersus quos Tuca et Varius in initio sexti posuerant, in quinti fine reliquit, ipsius Vergilii auctoritatem pluris faciens quam editorum arbitrium commentatorumque argumenta.

Iam agendum erit de ratione Probi qua uersatus sit in singulorum quorundam uerborum interpretatione. Atque deceptus est, cum sibi persuaderet Aen. X 303 VADI DORSO dictum esse pro 'uado'. Nam Vergilium VADIS scripsisse et librorum consensus docet, et sensus optime sic procedens: nauis inficta 'uadis' (cf. Seru. ad Aen. I 112) pendet 'dorso' (= duriore harena; cf. Seru. ad Aen. X 303). Sed Probus in speciosam suam magis quam ueram sententiam inductum se esse ipse profitetur comparata consuetudine poetae, qui georg. III 436 similiter dixerit 'dorso nemoris' pro 'nemore'. Criticae ergo disciplinae, sicuti supra iam uidimus (p. 61; 64), regulis nimis fretus a sano illo quod natura suadebat iudicium recessit et ipsa poetae uerba mutare non ueritus est VADI ponens pro VADIS. — Ad XI 566 adnotauit: 'caespite *καταχρηστικῶς*¹⁾ pro campo, scilicet quod caespes gleba sit' (cf. Seru. ad buc. I 68 'CAESPITE id est terra cum propria herba euulsa'). Neque diuersa est obseruatio facta de abusiua significatione (Seru. ad Aen. VI 473): 'PRISTINVS prior. quod difficile inuenitur, nam de hoc sermone quaerit et Probus et alii'. Similiter ad Aen. IV 359 Probus obseruauit uerbum, quod est 'haurire', proprie non bene dici tamquam 'percipere uocem' (Seru.: 'Probus ait "nemo haurit uocem") et ideo ueteres qua potissimum parte sensus perciperent adiunxisse. — Ad Aen. IX 373 (schol. Veron.) Aemilius Asper, grammaticus ille laude prudentiae atque acuminis Probo facile superior, de uoce 'sublustri' subtilius quaesiuerat; ad cuius quaestionis naturam quo melius intellegatur, conferendus est Quintil. I 5, 65. Probus insolentioris uocabuli uim atque significatum apto exemplo in-

1) sic enim uerba emendauisse mihi uideor: CAESPITE Probus ait 'caespite *καταχρηστικῶς* pro campo', cum libri exhibeant: 'Probus aut cespite aut caespite pro campo'.

lustrauit ex Horatii carminibus. — Ad buc. VI 76 contra Cornuti uituperationem Vergilii uerba defendens significatu uocabuli 'uexare' accuratius enarrato ex sui aevi subsidiis atque doctrina¹⁾ grammatici officio egregie suffecisse uidetur. — Quod de origine et fide historiarum in carminibus Vergilii obuiarum quaerebat (cf. Macrob. Sat. V 22, 9), cum Alexandrinorum tum Cornuti uestigiis insistebat de quo Macrobius (Sat. V 19, 2): 'hanc Vergilius non de nihilo fabulam fingit, sicut uir alias doctissimus Cornutus existimat qui adnotationem eiusmodi adposuit his uersibus "unde haec historia, ut crinis auferendus sit morientibus, ignoratur, sed adsueuit poetico more aliqua fingere, ut de aureo ramo." haec Cornutus.' A cuius sententia Berytius ita diuersus erat²⁾, ut eam quam ille concesserat poetae fingendi licentiam non concederet (cf. Seru. auct. ad Aen. XI 554 'ἀνιθάρων πλάσμα'), sicuti non a parte eorum stetit qui poetis liberiores quendam epithetorum usum concederent (p. 64). Praeterea si uno loco Probum adnotasse constat nescire se unde historia sumpta esset, ubique eum adnotasse consentaneum est unde historiae uel fabulae paulo reconditiores essent haustae. Quod si uerum est, stat Iulii Steup (p. 112) argumentatio, hoc multum ualere ad refellendam sententiam eorum (conf. Kuebler l. s. p. 31 sqq.) qui commentarium illum in Vergilium non recte Probi nomine ornatum esse in codicibus pronuntiarent eam ob causam, quod indoles huius commentarii mythologicis geographicis physicis rebus referti parum conueniret cum Valerii Probi studiis. Denique quam late propagauerit Probus interpretis officium, testis est adnotatio schol. Bernens. ad georg. I 403; quam adnotationem, si quidem apud Festum p. 197, 8 leguntur: 'Oscines aues Ap. Claudius (*corr. Willers*³⁾), Claudianus libri) esse ait quae ore canentes faciant auspicium, ut coruos cornix noctua', Valerius Probus ex Ap. Claudii libro uel potius ex Verrii Flacci thesauro adsumpsit, sicuti non semel eum fecisse demonstrabitur, cum de Gelliano capite II 6 agendum erit.

1) Ex nostri aevi grammaticis Probus sectatorem inuenit Vanicek (Etymol. Wörterb. d. lat. Sprache, Leipz.² 1881 p. 261) uerbum uexare tamquam intensiuum ad uehi referentem; sed conf. Aloysius Walde, Latein. Etymol. Wörterbuch, Heidelberg 1906 p. 668.

2) Ceterum Probus Cornuto aduersatur (cf. Rudolfus Reppe, De L. Annaeo Cornuto, diss. Lips. 1906 p. 35) ad buc. VI 76, georg. III 4, Aen. X 314 (cf. Gell. II 6), georg. I 277.

3) Henricus Willers, De Verrii Flacco glossarum interprete, diss. Hal. 1898 p. 16.

Restat ut de Probo Terentii interprete dicamus. Quo in genere iterum grammaticus agnoscitur qui quod praecipiebant Aristarchei poetam ex ipsius poetae ratione explicandum esse, per omne fas ac nefas sequatur. Nam in Terentii uerbis interpretandis remoto exemplo Graeco Terentii tantummodo rationem atque Romanorum cultum et mores respiciebat. Nam primum Eunuchi uersum, quem ad uerbum ex Menandri fabula expressum esse adnotatio Donati docet quemque non distinctis uerbis Persius (Sat. 5, 172) in suo exemplari legerat, distinxit ita ut exemplum Graecum prorsus neglegeret. Quid uero uoluerit Valerius Probus cum ita uerba Terentii distingueret¹⁾, nempe ut rhetoricam partitionem designaret, intellegitur ex iis quae Eugraphius (Aeli Donati quod fertur commentum Terenti rec. Paulus Wessner uol. III Lips. 1908 p. 94) adnotauit: 'QVID IGITUR FACIAM haec deliberatiua duas partes in propositione deliberantis continet (et) ex utraque parte argumenta, sed eo hic seruus accedet, ut possit alteram partem persuadere. deliberatiua utique ab honesto et ab utili et ab eo an fieri possit et an necesse sit semper diuiditur. haec igitur an seruata sint considerare debemus. ac primo propositio est QVID IGITUR FACIAM, quae communis est ad utramque partem. deinde incipit una pars NON EAM. adiecit causam cur ire debeat NE NVNC QUIDEM CVM VLTRO ACCERSOR. deinde est alterius partis propositio'²⁾. Praeterea subtilitatem disputandi in hoc Eunuchi exordio iam Cicero obseruauerat (de nat. deor. III 29, 72). Porro ad enarranda uerba Phormionis I 1, 15, ubi de initiandis pueris Graecis agitur, Probus Romanorum confert instituta et religiones. Qua in re deceptus est grammaticus, quem longe superabat iudicio et Latinarum litterarum prudentia alter ille criticus cuius sententiam Donatus subiecit: 'sed Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur initiis Samothracum a certo tempore pueros imbui more Atheniensium: quod ut in palliata probandum est magis'. Quem criticum Aemilium Asprum fuisse Paulus Wessner (Asp. p. 23 sqq.) docuit. Ad Adelph. III 2, 25 de uerbis singulis personis adsignandis egit; qua in re simili argumento ductus esse uidetur atque cum ad Phorm. V 9, 16 quaereret an matrona tam familiariter recte

1) De consilio atque ratione distinguendi quae apud ueteres ualuisset, post Iulium Steup (l. s. p. 21) disputauit Robertus Kaner (Wiener Studien XXII [1900] p. 60 sqq.).

2) Eugraphius etiam ad Phorm. I 1, 15 interpretationem Probianam seruauit.

diceret alieno. Nam hoc fuit praeceptum disciplinae quod tradit Quintil. I 8, 17: 'praecipue uero illa infigat animis, quae in oeconomia uirtus, quae in decore rerum, quid personae cuique conuenit'.

Postquam ex omni Probi memoria ea quae ad recensendos interpretandosque scriptores pertinerent, examinauimus, summam iudicii proponere placet. Atque primum, ut in uniuersum grammatici studium declaretur, sicuti ueteres scriptores sanctissimos pronuntiabat incorruptae Latinitatis auctores, ita ueterum Latinorum fabulas sui iuris esse iudicabat et uerba (Eun. I 1, 1) et res (Phorm. I 1, 15) non ex Graeci exempli ratione, sed ex Romanae gentis usu atque condicione interpretabatur. Qua in re, quod uerba dicebat, non ita uituperandus esse uidetur; quod uero mores fabularum Terentii inlustrabat comparatis Latinae gentis institutis, interpretis officio non minus peruerse functus est, quam si nostri aevi grammaticus condiciones fabulae Macbeth in uernaculum sermonem translatae aperire uoluerit ex Germanae gentis consuetudinibus. Deinde obseruandum est Probum interpretationis officium adeo non intra grammaticas obseruationes comprehendisse, ut nullius fere disciplinae genus non attingeret (cf. Maximilianus Dorn l. s. p. 10). Denique in tractandis scriptoribus maxime se conformabat cum institutis Aristarchi tum regulis artis et grammaticae et rhetoricae. Quas cum sequeretur, multa quae ab aliis reprehensa erant, recte a poeta posita esse intellexit (Verg. buc. VI 76 'uexare'; Aen. IX 371 'sublustris'), nonnulla egregie emendauit (Aen. VII 773 'Phoebigenam'). Tamen mirum in modum diminuitur laus grammatici ideo quod fastidiosa quadam ratione implicitus ad doctrinam magis quam ad proprium iudicium plerumque se accommodabat. Unde in duos maxime deducebatur errores, alterum ut perpetuitate et constantia regularum nimis fretus uel peruerse uerba intellegeret (Aen. X 303 'uadi dorso') uel in aestimando poeta plane molestus esset (Aen. II 173; IV 418; XI 554; cf. Henr. Georgii l. s. p. 503), alterum, quod grauissimum est praesertim in editore, ut tropos exploraturus tradita scriptorum uerba audacissime tangeret atque mutaret, eam denique in se admitteret impudentiam, ut propriae sententiae confirmandae causa uel nouam substitueret lectionem, sicuti fecit ad Aen. VIII 406. Ex eo intellegitur quantum discesserit Valerius Probus a prudentia Aristarchi quem tamen sibi proposuerat magistrum, cuius in tuendis scriptorum uerbis religionem K. Lehrs (de Arist. stud. Homer. ed. III p. 354;

357 sqq.) exposuit collatis exemplis, in quibus egregium est illud (schol. ad *I* 222) 'ἀλλ' ὁμῶς ὁ Ἀρίσταρχος ὑπὸ περιττῆς εὐλαβείας οὐδὲν μετέθηκεν ἐν πολλαῖς οὕτως εἰρὰν φερομένην τὴν γραφὴν.' Corrigatur igitur necesse est duplex illa quae circumferebatur opinio Valerii Probi Berytii ut acerrimi iudicii grammatici et curiosi editoris qui uerba scriptorum seruauerit prudenti diligentia; neque recte eum Theodorus Mommsen (Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1853, 130) Immanuelem Bekker Romanum appellauit. Quod si recte disputauimus, nescio an feliciter euentum sit, quod recensionis Probianae, cuius in commentariis seruatae sunt reliquiae sat multae, in ipsorum scriptorum codicibus uestigia manserunt exigua.

De Valerii
Probi uita
Vergiliana

Seruata est codicibus nonnullis quinti decimi saeculi (uid. infra) uita Vergilii commentariolo Valerii Probi in bucolica et georgica praeposita. De uitarum Vergilianarum auctoribus nouissimus egit Eduardus Norden (Rh. M. 61 [1906] p. 171 sqq.) qui de sententiis retulit quae de illa uita prolatae erant; tum ipse falso ad Probum referri uitam demonstraturus duobus potissimum argumentis nisus est, cum contenderet earum quae hic traderentur nullam rem alio loco non inueniri, a compilatore igitur quodam uitam facile undique conflari potuisse; deinde ea quae apud unum Probum traderentur singularia, ueluti illa (p. 323, 5 H) 'milia passuum XXX', falsa esse, qua in re aperte agnosceretur falsarius nimia diligentia ueritatis speciem capessens; denique rebus uerbisque perpensis uitam conscriptam esse pronuntiat temporibus Gaudentii et Porphyrii. Qua tamen disputatione quaestio absoluta esse non uidetur. Nam cum tradita sit uita integra in codicibus Valerio Probo grammatico primi saeculi attributa, deinde cum per insequentium saeculorum litteras dispersae legantur partes quae in unum coactae in uita Probianae exstant, indicabimus, id quod natura rerum suadet, posteriores pro sua quemque parte ex Probianae quae perhibetur uita sua sustulisse neque accedemus ad Eduardi Norden sententiam, praesertim cum rem non probauerit doctissimus uir certis argumentis. Neque recte procedit, quod et Focas et Probianae uitae auctor Vergilii matris Pollae nomen ex aliqua Vergiliana uita quae perierit sumpsisse dicuntur (l. s. p. 172). Etenim Probus re uera uitam Vergilii scripsisse censendus est ideo quod recensionem curauit carminum Vergilii ex ratione Alexandrinorum institutam. Atque Suetonii uita Vergiliana adhuc exstat ex libro de poetis translata in commentum Donati (Suet. reliq. p. 400 sqq. R). Post

Probum uero et Suetonium omnino grammatici (nam a grammatica disciplina hanc de qua quaeritur uitam seiungi non posse infra docebitur) nouas poetarum uitas conscripsisse non uidentur ideo quod posteriores commentatores uitas Suetonianas in suum usum conuertere solebant. Atqui post memoriam Vergilianae uitae sub finem primi saeculi bis collectam et a Valerio Probo et a Suetonio Tranquillo, non intellegitur quo alio ex fonte aliquis quinti saeculi scriptor Pollae matris nomen sumere potuerit. Probus uero cum ex ratione Alexandrinorum accurate uitam conscriberet, sicuti Persii matris nomen Fuluiam Sisenniam posuit, ita Vergilii matris nomen afferre debebat; et re uera hodie Pollae nomen legitur in Vita Vergiliana M. Valerii Probi. Denique hanc Probianam, quae in codicibus perhibetur uita, ex Suetoniana excerptam esse demonstrari posse iam Fridericus Leo negauit (griech.-röm. Biogr. 1901 p. 13), ita ut recte Gustauus Körtge l. s. p. 195 [9] uitam illam Vergilii de commentario Valerii Probi sublatam Suetonio uetustioremem memoriam praestare contenderit.

Sed id ipsum negatur, recte in codicibus uitae et commentario additum esse nomen M. Valerii Probi¹⁾. De commentario cum infra disputaturi simus, nunc de uita agendum erit. Atque certum indicium utrum recte ad Probum relata sit necne, inde petendum erit, ut uita qualis legitur conferatur cum uita Persii quam ad Valerium Probum recte relatam esse supra dictum est (p. 56). Atque consimilis est Persianae uitae accurata designatio trium nominum, diei quo natus sit quibusque consulibus, praeterea additum nomen matris, patris denique nomen et condicio (p. 323₃₋₅ Hagen). Traditur studiorum cursus (323₆), sedulo affertur quorum uirorum usus sit praesidio amicitia familiaritate (323₈₋₁₃). Afferuntur scripta et quis ea ediderit (323₁₂₋₁₅), perhibentur census et heredes (323₁₅₋₁₈), narratur quo loco decesserit, quot annos natus (323₁₆₋₂₁). Quae omnia cum similiter eodemque fere ordine in Persii uita traduntur tum indicant hanc uitam referendam esse ad grammaticam disciplinam. Eodem deducit elocutionis genus. Sane ea quam in Persiana uita miramur curiosam quidem sed ab omni eloquendi artificio remotam speciem, hic non eodem modo conspicua est, tamen abruptam quandam et concisam uerborum iuxtapositionem facile agnoueris, ueluti 323,5 'tenui facultate nutritus', 323₈ 'postea

1) De Probi uitae Vergilianae memoria per medii aeni saecula propagata egit R. Sabbadini, *Le biografie di Vergilio: antiche, medievali, umanistiche*. (Studi ital. di filol. class. XV [1907] 197 sqq.).

restitutus', 323₉ 'quibus in Bucolicis adulatur'. Neque illa Alexandrinorum tali in genere proprietates deest, uerba dico reliquae enuntiati comprehensioni praeposita, ueluti 323₁₁ 'uixit', 'secutus', 323₁₃ 'scripsit', 323₁₆ 'decessit'. Accedit quod sola hac de qua quaerimus uita recte traditi sunt poetae anni (LI), cum Donatiana uita falso LII perhibeat (E. Norden l. s. p. 173 adn.). De Pollae matris nomine supra dictum est p. 70. Quae si recte disputata sunt, uitae principalem formam referendam esse apparet ad grammaticum qui Alexandrinorum rationem secutus sit ipseque bona doctrina auctus. Principalem dico formam, nam memoriam hic et illic turbatam, uerba uexata esse uir sani iudicii non negabit; ueluti illa, quae de bello Mutinensi et de bonis Vergilio restitutis afferuntur, deprauata esse docent ceteri loci quibus grammatici his de rebus tradiderunt (uita Seruii p. 2, 1 Thilo; praef. Seru. ad buc. p. 2, 25 Thilo; Donat. uita Verg. p. 59, 2 Reiff.; Probi praef. p. 327, 28 Hagen; Focas p. 71, 14 Reiff.). Tum illud 'centies sestertium' quod poetam ab Augusto absoluta Aeneide accepisse uita Probiana tradit, Vergilium ex liberalitatibus amicorum accepisse neque plura praeterquam possedissee Donatus perhibet (p. 57, 12 Reiff.); denique nec Aeneis bello Cantabrico (a. 2⁵ a. Chr.) coepta est neque patria Vergilii XXX milia passuum a Mantua abesse recte in Probi uita tradita esse uidetur (E. Norden l. s. 175 sq.). Quid inde statuendum est? Argumento idoneo uti nobis uidemur eo quod suppeditauit Georgius Thilo qui, cum de Probi commentario dissereret (Fleckeis. Jahrb. 149 [1894] p. 293), omni uitae ratione considerata iudicauit hanc qualem nunc legimus uitae formam exceptam esse ex praelectione grammatici cuiusdam, memoriae tantum subsidiis de uita poetae disserentis. Quem Probum esse iis fretus quae supra disputata sunt de ratione Berytii quaeque Suetonius tradidit de genere eius docendi, recte sibi persuaserit quispiam.

De com-
mento in
Vergilium

Valerii Probi in bucolica et georgica Vergilii commentarius seruatus est codicibus tribus Vaticano 2930 Parisino 8209 Monacensi lat. 755, quos ex codice Bobiensi anno 1493 a Georgio Merula inuento descriptos esse Theodorus Mommsen docuit Rh. M. 16 (1861) p. 138. Accedit editio I. B. Egnatii (Venetiis 1507) ex illo cod. Bobiensi expressa¹) (E. Lommatzsch, praef.

1) Otto v. Gebhardt (Centralblatt f. Bibliotheksw. V [1888] p. 389) dubitauit num Egnatii codex idem esset atque ille a Georgio Merula 1493

Append. Seruianae, Lips. 1902 p. VIII). Atque controuersia est inter nostri aevi grammaticos rectene hic commentarius ad Berytium referatur.

Otto Iahn editioni Persii 1843 praefatus (p. CXVI) et commentum integrum et uitam Probo Berytio uindicauit; Henricus Keil (Symbol. phil. Bonn. I 93), Augustus Reifferscheid de Suetonii reliquiis disserens p. 398 sqq., tum Otto Ribbeck (Fleck. Jahrb. 1863, 351 sqq.; Proleg. ad Verg. 163), Hermannus Hagen (Fleck. Jahrb. Suppl. IV [1861—67] p. 682) eruditionis et adnotationum Probi reliquias recte agnosci contenderunt. Alexander deinde Riese de hoc commentario disserens a. 1862 omnino eum Probo abiudicauit (p. 28), quod aliis prorsus rebus explicandis studuisset Berytius atque in illo prolatae essent. Iulius uero Steup qui a. 1871 de Probis grammaticis disputauit, commentarium Probo minori quem sibi finxerat, adtribuit (p. 99 sqq.). Decennio post Bernardus Kuebler pugna redintegrata iam Probi memoriam se profigaturum esse confidebat. Alexandrum secutus Riese commentarium a Probo scribi non potuisse contendit (l. s. p. 30), quod interpretationes uerborum ineptiores essent quam ut Berytii praestanti doctrinae adtribui possent; Probum denique mythographicis philosophicis geographicis rebus quibus maxime omne refertum esset commentum, omnino non operam dedisse sibi persuaserat (p. 32). Georgius porro Thilo (Fleck. Jahrb. 149 [1894] p. 289 sqq. p. 421 sqq.) uarias diuersorum temporum atque scriptorum partes agnoscendas esse iudicauit, quorum in fontes inquisiuit condicionesque examinauit ceteris maxime qui exstant in Vergilium commentariis in comparationem uocatis; qua in deliberatione praefationem, non mediocris sane doctrinae specimen, idcirco Probo abiudicandam esse censebat, quod ab optimo genere dicendi nimis remota esset.

Iam intellegis in eo omnem illorum uirorum disceptationem uersatam esse, quod commentarii natura Berytii rationi non accommodata esse uideretur: quam quaestionis summam aperte definiteque expressit Otto Ribbeck (Proleg. ad Verg. p. 163; cf. Suringar, histor. critica scholiast. Latinorum II [1834] p. 15). Postquam uero cognouimus Valerium Probum interpretem Vergilii fuisse omnino non eximiae illius quae nunquam deficeret doctrinae aut praestantis cuiusdam iudicii, studiorumque eius rationem

inuentus. Codicem Bobiensem non a Merula, sed ab amanuensi eius Georgio Galbiate inuentum esse Remigius Sabbadini docuit (Le scoperte dei codici latini e greci ne' secoli XIV et XV, Firenze 1905 p. 157).

nullis fere terminis circumscriptam esse, nec scriptorem fuisse optimaep perpolitaeque Latinitatis, profligata hac quae illos tenebat Berytii opinione argumentationis quoque fundamentum subtractum esse uidetur. Id quoque obseruandum est hunc Vergilianum commentariolum non aestimandum esse eadem mensura qua aestimabantur libri ab ipso scriptore cura ac diligentia editi; nimirum τὰ συγγράμματα Didymus distinguebat a genere ὑπομνημάτων (K. Lehrs, de Arist. stud. Hom. ³ p. 22). De istiusmodi σχολικῶν ὑπομνημάτων (siue a magistro ipso in usum discipulorum conscripta, siue ad professoris scholas a discipulis excepta erant) fide ac doctrina cum disputaret Lehrs, apte contulit Galeni uerba quibus ipse confessus est, cum in usum sectatorum (φίλοις ἢ μαθηταῖς) scriptores commentatus esset, τὰ γούν τοῖς εἰρημένοις γεγραμμένα πρόδηλον δῆπον μήτε τὸ τέλειον τῆς διδασκαλίας ἔχειν μήτε τὸ διηρηβωμένον. Et omnino si quae res tradita opinioni nostrae non accommodata esse uidetur, prudentis existimatoris erit, priusquam rem traditam tangat, uidere an ipsius opinio corrigenda sit. Sicuti in re plane simili exemplo Didymi edocti sumus, cuius Demosthenici commentarii ratio ita non respondet ei imagini Didymi quam antea sibi finxerant nostri aevi grammatici, ut editores adfirmare non dubitauerint, nisi nomen Didymi subscriptum esset, neminem de eo tamquam auctore cogitaturum fuisse (Didymos, Kommentar zu Demosthenes ed. H. Diels et W. Schubart, Berl. Klassikertexte 1904 praef. p. XII sqq.).

Nuper Fridericus Marx (Proleg. ad Lucilium [1904] p. LXXII sqq.) cum de origine commentarii quaereret, hunc descriptum esse docuit e codice Vergilii adnotationibus exornato quae Valerii Probi nomen retulissent in indice libri ut auctoris. Quo factum esse ut non unius grammatici doctrina exhiberetur in eo quem nunc legimus commentarium, sed multorum per saecula adnotationes simul adscriptas esse; neque uno contentum fuisse exemplari illum qui haec composuisset excerpta, sed complures commentarios sectatorum Probi adhibuisse, ita ut nunc legeretur ad eclog. III 40 'in alio sic'; cf. ad georg. I 244; II 37. In toto autem libro conspicuam esse non modo insignem auctoris doctrinam, sed etiam tale quoddam elocutionis genus ex quo appareret librum non esse scriptoris, sed doctoris modo qui ad rem proferret eruditionis insigne specimen, modo ea quae nihil ad rem, sed docendis essent pueris apta et satis uulgaria. Ita fieri ut prorsus agnoscere nobis uideamur tale quoddam disciplinae genus quo Probum usum esse cum sectatoribus in praelegendis

poetis Suetonius traderet. Praeterea quae ad eclog. VI 31 de quattuor elementis legerentur, eorum plane similia Probum reuera tractasse ad Aen. X 18, quo loco physici a Probo perinde memorati essent atque in commentario ad eclog. VII 61. Probi uero ipsius rationem agnosci in eo quod allata essent uerba scriptorum addito genetiuo, ueluti 'saturarum', quo more praeter Probum scholiastarum Vergilianorum usus esset nemo. Denique auctoritatem Probi commendari eo argumento quod nouissimus qui bis appellaretur grammaticus esset Aemilius Asper, contra quem Probus pugnasse traditus esset aliis locis. Quae sententia cui omnino assensus est Eduardus Norden (l. s. p. 171) non probata fuit Paulo Wessner qui in ea quam supra diximus disquisitione conlata tota Aemilii Aspri memoria huius grammatici tempora et studiorum rationem definiuit. Cuius nomen cum bis legeretur, sicut dictum est, in commentario Vergiliano (p. 337, 25 et 341, 18 H) de auctore huius commenti et temporibus dicendum erat. Atque primum ipsum Probi nomen ita parum certis testimoniis confirmatum esse dixit, ut dubitari liceat num omnino in codice Bobiensi inscriptum fuerit. Deinde commentarium ipsum dum examinat commonuit uitam et praefationem communi consensu uirorum doctorum a Berytio remotas esse, commentarium ipsum uero adeo non integrum esse unius scriptoris opus, ut dispersis et raris et parum cohaerentibus adnotationibus insertae sint duae maioris ponderis partes ab ipso commentario certo alienae. Atque ipsam illam adnotationem ad eclog. VI 31 quae maxime Berytio attribui soleret, non praebere eximiae doctrinae nisi falsam speciem, compilationem esse qualem unusquisque grammaticorum facile congerere posset. Maxime autem quominus ad Probum commentarius referretur obstare uidebatur, quod bis occurreret nomen Aemilii Aspri. Cuius tempora ita definiuit Paulus Wessner, ut eum post Suetonium fuisse affirmaret ideo quod biographus eum non in numerum grammaticorum recepisset. Deinde in ipsius Aspri studia indagans duo potissimum in hoc grammatico animaduertisse sibi uisus est insignia, quorum alterum esset amor studiumque ueteris linguae Latinae, alterum ea disciplinae eruditionisque ratio quae Graecas Latinasque litteras eodem modo comprehenderet quaeque maxime cerneretur in Gellio eiusque libro noctium Atticarum: quam rationem egregie conuenire uiro aetatis M. Aurelii imperatoris.

Sed Suetonius cum librum de grammaticis scriberet, adeo non omnes qui Romae essent uel fuissent quique de rebus

De Aemilii
Aspri tem-
poribus

grammaticis scripsissent, in suum librum recepit, ut professores tantum enumeraverit¹⁾. Ne Varronis quidem nomen occurrit apud Suetonium nec Nigidii Figuli; neque Plinium qui libros dubii sermonis conscripsit neque Cornutum Vergilii interpretem ante Probum fuisse tibi persuaseris, si unius Suetonii qui illos non nominaverit steteris testimonio. Itaque argumentum illud ad definienda tempora Aemilii Aspri petatum ex silentio Suetonii non stat²⁾. Deinde quod duae res cernuntur insignes in Aemilio Aspro, studium sermonis ueteris et Graecarum litterarum cum Latinis coniunctio, ea non ualent ut recte grammaticum ad alteram alterius post Chr. saeculi partem remittas, quippe quae eodem modo, atque melius, in Probo obseruentur. Nam ueterum scriptorum studium atque notitia sane Probum non defecerunt qui Varronem (Don. Phorm. I 1, 15), Aelium Tuberonem (Gell. VI 9, 11), Valerium Antiatem (Gell. VI 9, 12), Ennium (Gell. IV 7), Catonem (Seru. buc. VI 76) atque praesertim scaenicos poetas Naeuium (Prisc. I 541, 19; Charis. 198, 12), Pomponium, (Prisc. I 535, 20), Pacuuium, Accium (Seru. Aen. XII 605) in argumentatione afferre solet et diligenter Sallustii operibus operam daret (Gell. I 15, 13; III 1, 1; Prisc. I 236, 11; Seru. Aen. I 441; Anecd. Helu. p. CLI). Porro Graecis litteris deditum facile agnoueris grammaticum Valerium Probum, qui Graeca uocabula plerumque argumentationi immisceret, quorum exempla pro exiguitate reliquiarum restant plurima (cf. quae de Probi sermone graecissante disputauimus p. 49 sqq.). Porro Graecis litteris Graecorumque doctrinae sane studebat Probus qui post Senecae cauillationem (epist. 88, 39: 'Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoscam et aetatem in syllabis conteram?') Aristarchi instituta Romae redintegrauit, qui commentatorum Homeri placita in suum usum conuertit (cf. p. 8), quem in interpretando Vergilio ubique a Graecae artis praeceptis profectum esse cognouimus, denique qui ad ipsum Homerum se retulit cuius laudem comparauit cum Vergilii iniqua imitatione (Gell. IX 9, 12 sqq.). Quam uituperationem factam esse supra docuimus (p. 13) ex ratione rhetoricae ἀνασκευῆς, uidelicet ut id maxime ostenderetur poetam nec locos nec tempora nec omnino condiciones obseruauisse. Iam intellegas quam aequae comparata sit illa quam instituit Aemilius Asper Vergilii cum Homero comparationem (uid. p. 64) quae legitur in schol. Veron. ad Verg.

1) de grammaticis Latinis et de Suetonii libri ratione cf. p. 19 sqq.

2) cf. Ioannes Vahlen, opusc. acad. I 1907 p. 47.

Aen. X 559 (fr. L Wessner): '(AVT GVRGITE MERSVM VNDA FERET) Asp.: hoc quidem apud Homerum (Il. 21, 120 sqq.) de eo qui in flumine trahebatur, recte positum est, at de eo (cuius iacet in) campo corpus, si flumine (mersum dicit), non est dictum ratione. Sic in quibusdam dum nimio stu(dio poeta ad) Homerum trahitur, neque temporis neque loci habet curam.' Itaque, quo omnis haec tendit disputatio, Aemilii Aspri studiorum ratio minime necessario deducit ad M. Aurelii imperatoris tempora, immo arte cum Probi doctrina coniuncta sunt qui priore saeculo docebat; atque caput Gellianum II 23 quod specimen uoluit esse Paulus Wessner eruditionis illius aetatis Aurelianae propriae, tali nititur de comitorum Latinorum et Graecorum iudicio quale iam apud Quintilianum legitur X 1, 100. Itaque, sublata quoque illa opinione qua Asper, cuius nomen apud Suetonium non legeretur, post Suetonium fuisse censebatur, nihil impedit quominus Asprum aequalem dicamus Probi, id quod suadent adnotationes plurimae ad Terentium et Vergilium, quarum alterae ita comparatae sunt ut Probus Aspro, alterae ut Asper Probo oppugnet; ueluti Asper Probi sententiam correxit Don. Adolph. III 2, 25 (fr. I Wessner) uel Probi adnotationem in suum usum conuertisse uidetur Seru. Aen. VII 543 (fr. XXXI W.). Probus uero Aspri sententiam impugnat Seru. Aen. X 539 (fr. XLIX W.) et maxime Schol. Veron. IX 373 (fr. XLII W.); nam duas adnotationes casu tantummodo iuxtapositas esse (Wessner, Asp. 9) ne putemus obstat illud 'aptissimum'. Atque cum constet maxime ex commento ad Terentium, Asprum Probi observationes cognouisse, haec uero Probi observatio talis sit, ut ea omnis quaestio quam Asper instituerat, absoluat — nam Asper, si Horatianae dictionis meminisset, uix de uoce 'sublustris' quaesiuisset (cf. Steup p. 69) — concedendum est Aspri quaestionem observatione Probi priorem esse. Iam concedas non recte commentarium in Vergilium Probo ea de causa abiudicari, quod bis in eo occurrat Aemilii Aspri nomen.

Iam agendum erit de auctoritate nominis Valerii Probi commentario Vergiliano inscripti. Neque enim uno codice nititur Bobiensi anno 1493 inuento, cuius auctoritate perculsa Paulus Wessner nomen Probi remouebat. Sane trium codicum Vaticani Parisini Monacensis inscriptiones non ita inter se congruunt ut certa ratione concludere liceat Probi nomen ipsorum archetypo codici Bobiensi inscriptum fuisse; neque in librorum Bobiensium a. 1493 inuentorum indicibus (Sabbadini, Le scoperte dei codici

De auctori-
tate nomini
Probi com-
mentario in-
scripti

latini e greci ne' seculi XIV e XV, Firenze 1905 p. 160) hodie nomen Probi legitur. Tamen testimonium Egnatii qui expressis uerbis affirmavit se commentarium Probi excudisse ex codice manu scripto Bobii quondam a Georgio Merula inuento, eo deducit ut codicem illum Bobiensem qui in indice perhibetur continuisse 'Trium eglogarum Virgilii enarrationes' eundem esse iudicemus atque Egnatii exemplum commentarii Probiani, id quod pro certo affirmare non dubitavit R. Sabbadini l. s. p. 161. Atque Egnatium cum anno 1507 librum ederet, non ex suo ingenio praeclari grammatici nomen anonymo commentario addidisse inde comprobatur quod Petrus Crinitus anno 1496 exemplum suum iam Probi nomine insignitum inuenit. Quid? quod praeter codicem Bobiensem atque adeo ipso hoc codice obliuione etiamtum obruto idem qui nunc circumfertur commentarius Probianus Probi nomine inscriptus legebatur? Nam Angelus Politianus qui anno 1494 mortuus est neque a Georgio Merula impetrauerat ut libros ab illo repertos inspiceret (Oscar v. Gebhardt, Centralblatt f. Bibliotheksw. V [1888] p. 345—348; Sabbadini l. s. p. 156 sqq.) compluribus ante annis quam inuenti sunt illi libri Bobienses, eundem quem nos nunc tenemus commentarium Probi nomine inscriptum cognouit (v. Gebhardt l. s. p. 387). Nimirum haec perhibet Italus ille in capite L Miscellaneorum (quae edita sunt a. 1489): „Sed enim qui Probus uulgo putatur haud improbus omnino Maronis enarrator, et ipse testem citat Hesiodum fabulamque pene sicut haec est Apollodori quamquam breuissime perstringit. Hunc autem in eis errorem fuisse mentis animique, boues ut se crederent, quod Vergilius quoque in Bucolicis significat, neutiquam uideri fabulosum debet etqs.“ Significasse Politianum adnotationem quae nunc legitur in commentario Probiano ad buc. VI 48 apparet. Denique Politianum ipsum Probi commentum adhibuisse ex eo intellegitur, quod in bybliothecca Parisina adhuc adseruatur Politiani exemplar Vergilianorum carminum amplis adnotationibus instructum quas sua manu Italus illustris ex illo commentario adscripsit (v. Gebhardt l. s. p. 388)¹⁾. Praeterea Probi commentum altera quinti decimi saeculi parte

1) Hyginus Funaioli, quo erat in me studio officioque, nuperrime dum Parisiis uersatur iterum hoc Politiani exemplar inspexit frequentissimasque adscriptas esse confirmavit ipsoque Probi nomine insignitas adnotationes earumque contextum fere ad uerbum conuenire cum eo quem nos manibus tenemus commentario Probiano,

non semel a uiris doctis adhibitum esse confirmatur testimonio quod attulit Sabbadini (*Studi ital. di filol. class.* XI [1903] p. 336) cum de codice Martialis (Ambros. B 131 sup.) saec. XV referret, in quo ad IX 49, 3 adscriptum legitur: „Parthenius cubicularius Domitiani, ut meminit Probus super Vergilio in commentario Buccolicorum, uolumen de amantibus scripsit, ideo eum Martialis uatem appellat.“ Quae qui adscripsit, repetiuit ea quae leguntur in commento Probi ad buc. III 62, neque tamen ex codice Bobiensi anno 1493 inuento transcripta esse possunt in codicem Martialis saec. XV. Denique anno 1478 scriptori codicis Ambrosiani R 13 sup. commentarium Probianum innotuisse docuit Sabbadini l. s. p. 133; cf. *ibid.* p. 161.

Hoc igitur tenendum est: codicis Bobiensis et apographorum nomen Probi perhibentium auctoritas confirmatur et aliorum et Politiani testimonio qui Bobiensem illum codicem non inspexerunt.

Sublatis igitur difficultatibus haesitationibusque quae adhuc tenerent uiros litteratos ne Probum commentarii Vergiliani auctorem esse concederent, confirmataque fide memoriae in Probi nomine tradendo, hoc restat officium ut natura commenti declaretur aperiaturque ratio qua ea quae aetatem tulerunt coniuncta sint cum Valerii Probi disciplina. Qua in re repetenda erit sententia Friderici Marx quam probauit Eduardus Norden (*Rh. M.* 61 [1906] 171), quaque naturam et indolem commenti recte definitam et expressam esse laudauit Paulus Wessner (*Asp.* p. 12). Quod si igitur ea quae nunc leguntur congesta in figuram commentarii, profecta sunt e lectionibus Berytii quas postmeridianis horis instituere solebat grammaticus, ipsa illa commentarii disiecta condicio atque incomposita quam Paulus Wessner uituperauerat (*Asp.* p. 10) adeo non ualet ad remouendam sententiam quae Probum auctorem esse adfirmet, ut Berytii rationem atque ingenium aperte demonstret.

Placet ultimum subiungere argumentum quo omnis Valerii Probi in recensendis scriptoribus opera eiusque ad haec tempora seruata uestigia apte inlustrentur. Neque enim cum quid de ueterum editionum ratione statuere uelimus, nostrorum temporum condiciones referendae sunt ad instituta antiquorum (cf. Louis Haenny, *Schriftsteller u. Buchhändler in Rom*, Halle 1884 p. 18; Th. Birt, *d. ant. Buchwesen* c. VII p. 342 sq.); siquidem antiqui aevi homo litteratus omnino non, si quid meditatus conscripserat, statim in uulgus hoc dimittendum esse sentiebat, immo animad-

uertere licet haesisse plerumque Romanae imprimis gentis uiros in diulgandis scriptis (Haenny p. 19). Nunc uero, qui scriptorem recensuit, eum res ipsa deducere uidetur ut foras det hanc recensionem nouamque emittat editionem. Atque fieri solet ut non mediocri exemplarium numero emisso simul statimque diulgetur illius editoris opera atque innotescat, priora uero exempla sensim submoueantur. Qua in re diuersus mos erat apud antiquos, quorum consuetudines si respexeris, ueram editionem non dicas nisi eam primam. Neque enim omnino tum qui librum quendam repeteret uerbaque scriptoris recenseret, hocpropter nouam sibi faciendam esse editionem sentiebat. Suum emendabat adnotabatque exemplar idque cum amicis communicabat, sicuti Fronto (p. 190 Nab.) libros Ciceronianos sua manu emendauit distinxit adnotauit eosque Volumnio Quadrato amico legendos misit neque tamen eos in uulgus exire uoluit (cf. Birt, l. s. p. 346). Atque si de Probo quaeras quaenam ediderit, Suetonius expressis uerbis tradidit Berytium edidisse non nisi exigua illa de minutis quaestiunculis. Neque tamen minus aperte idem Suetonius tradit, Probum scriptores ueteres recensuisse, id quod praeterea confirmatur testimonio fragmenti Parisini de notis criticis. Unde apparet Probianas editiones Vergilii Lucretii Horatii Terentii Persii in uulgus emissas esse nullas neque a bybliopolis in tabernis uenisse, uerum memoriam recensionis Berytii inter familiares grammaticosque tantummodo conseruatam traditamque esse neque ultra hos terminos exiisse. Iam intellexeris qui factum sit ut omnis fere Berytii recensionis notitia contineatur adnotationibus commentatorum; quae memoria nitebatur uel exemplari ipsius Probi sicuti re uera carminum Vergilianorum exemplar Probianum inter familiares conseruatum fuisse testimonio Seruii ad Aen. I 21 constat, uel exemplaribus sectatorum ad magistri lectiones postmeridianas adnotatis (cf. Frid. Marx, Proleg. ad Lucil. p. LXXII sqq.). Neque iam mireris quod tam exigua hodie seruentur recensionis Probianae uestigia in ipsis scriptorum codicibus quodque tam praeclarae emendationes uelut illud PHOEBIGENAM ad Aen. VII 773, tam speciosae mutationes uelut illud FLOROS ad Aen. XII 605 neque omnibus Vergilianis libris exhibeantur et adiunctae sint suo loco a posterioris demum aevi uiris litteratis qui eas cognouerint ex ipsa illa commentatorum notitia (cf. p. 40); sicuti in Sallustianis libris nonnullis a posteris demum additum est Probianum illud LOQVENTIAE (cf. p. 44), quod Fronto etiamtum non legerat in suo exemplari.

Cum poetarum recensionibus, in quibus usus est notis criticis, quodammodo coniuncti sunt ¹⁾ commentarii quos scripsit de ceteris quae apud Romanos in usu essent notae uel signa quorum significationem aperiret, ueluti ille 'de iuris notarum' commentarius qui editus est GL IV 271 sqq. K cura Theodori Mommsen necnon 'commentarius de occulta litterarum significatione in epistularum C. Caesaris scriptura', quem in scriptis Valerii Probi enumerat Gellius XVII 9, 5 (cf. Suet. Aug. 88).

De commen-
tariis quos
scripsit
Probus de
notis

Epistolam, quam affert Gellius (IV 7) Valerii Probi grammatici ad Marcellum scriptam super accentu nominum quorundam Poenicorum, recte adtribueris minutis quaestiunculis quas uocat Suetonius quasque uiuum edidisse Probum ipsum tradit. Epistolae forma qua res ad litteras grammaticamque spectantes tractarent, uiri Romani libenter uti solebant (cf. Hygini Funaioli, Gram. Rom. Fragm. indicem IV p. 578 sqq.) et complures tales epistulas in libri formam cogebant, ueluti Catonis primus liber epistolarum quaestionum affertur a Gellio (VI 10, 2), item Varronis quartus liber epistolarum quaestionum (Gell. XIV 8, 2; cf. Charis. 104, 20; 109, 1; 73, 3; Non. p. 121; 144; 419; 473). Messala Coruinus in quadam epistula grammaticas res tetigisse apparet (Suet. gram. 4), Verrius Flaccus eo genere usus est (Seru. Aen. VIII 423); de Ateio Capitone, Asinio Pollione, de Sulpicio Apollinari conferas Martini Hertz edit. Gellianae ind. auctorum. Probus igitur usitatissimo genere utebatur quodque praeterea optime conueniebat ingenio eius atque segnitiei, quippe qui tamquam frustatim studiis uacaret ('inter uulgares sermones legere solebat idque perraro') et assidui laboris impatiens ordinatum et amplioris ambitus librum perficere ²⁾ non ualuerit. Marcellus ille quis sit certa ratione assequi non possumus, probabilibus rationibus possumus. Nam nescio an recte contenderit quispiam hunc eundem esse atque Marcellum illum Vitorem cui Quintilianus opus dicauit (prooem. 6). Quantopere enim Quintiliani in litteris uoluntas atque iudicium congruerit cum iudicio Probi, supra dictum est (p. 7). Marcellus uero multi fuit et in doctrina et

De scriptis
grammaticis

1) cf. Theodorus Mommsen, Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1853, 130.

2) nam de 'siluae' natura quam eum reliquisse Suetonius tradit, conferenda sunt uerba Quintiliani X 3, 17 'Diuersum est huic eorum uitium qui primo decurrere per materiam stilo quam uelocissimo uolunt et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt; hanc 'siluam' uocant. Repetunt deinde et componunt quae effuderant; sed uerba emendantur et numeri, manet in rebus temere congestis quae fuit leuitas.'

in re publica usus; nam de muneribus publicis uide Prosopogr. imperii Rom. III p. 455, eximio litterarum amore eum flagrantem Quintilianus praedicat (prooem. 6), potentis eloquii uirtutem effert Statius (silu. IV 4, 64).

Ἀνωμαλίας quae dicitur praecepta protulit libro 'de inaequalitate consuetudinis' (Charis. GL I 212, 7 K) de cuius inscriptionis ui atque significato conferas Gell. II 25, 3 *ἄνωμαλία* est inaequalitas declinationum consuetudinem sequens'; Varro de l. L. VIII, 23 p. 172 Sp.: 'ac potius sequendam (dis)similitudinem quae in consuetudine est quam uocant *ἄνωμαλίαν*'; Prisc. GL II 417, 25 K 'inaequalium id est anomalorum'. Nam quantopere exhorruerit Valerius Probus rationem eorum qui inde a Stilone (Marx, Proleg. ad Her. p. 138) linguam Latinam ad certas leges exigent, intellegas ex iis uerbis quibus stomachum erupit in grammaticos rationis sequentes (Gell. XIII 21, 1). Probus enim sermonem ipsum normam esse uolebat recte loquendi ideoque eum quem integrum incorruptumque iudicabat sermonem ueterum obseruabat consuetudinemque idoneorum scriptorum (cf. p. 9). Quod uero studium quantopere oppositum fuerit *ἀναλογίας ἐξευρισμῶ*, praeclare pronuntiat Quintilianus I 6, 16: 'non enim cum primum fingerentur homines, Analogia demissa caelo formam loquendi dedit, sed inuenta est postquam loquebantur, et notatum in sermone quid quoque modo caderet. itaque non ratione nititur sed exemplo nec lex est loquendi sed obseruatio, ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit quam consuetudo'; ubi ipsum Berytium audire tibi uideris qui 'finitiones illas praerancidas et fetutinas¹⁾ grammaticas' (Gell. XIII 21, 1) quales Charisio teste (GL I 129 sq.; 137 sq. K) Aelius Stilo Varro Plinius maxime excogitauerant, fortiter spernebat et obseruationum reliquit siluam sermonis antiqui.

Praeterea libros de dubio perfecto²⁾ et de dubiis generibus³⁾ recte Probo tribuit Martinus Schanz (Hist. litt. Rom. II² 2, p. 341). Libellum porro 'de temporum conexione', quem Seruius consuluit ad Aen. VII 421, ad Probum referendum esse inde comprobatur

1) cf. Suet. Aug. 86 'reconditorum uerborum, ut ipse (*Augustus*) dicit, fetoribus'.

2) Quamquam I. W. Beck (l. s., cf. huius disputationis p. 30) a Probo abindicauit librum de dubio perfecto 'cuius nec uola nec uestigium apud antiquos scriptores exstaret' (p. 6). Sed cf. Fröhde, Fleck. Jahrb. 151 (1895) 285.

3) cf. H. Neumann, de Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontibus, diss. Kiliae 1881 p. 38 adn.

quod in toto commento, ubicumque nomen Probi occurrit, non nisi de Berytio cogitandum est; tum quod dicit 'libellus', hoc cadere uidetur in ea quae Suetonius tradidit de paucis illis et exiguis editis a Valerio Probo; denique eadem ratio quae ad Aen. VII 421 secundum hunc librum de conexione temporum exposita est, occurrit in adnotatione ad Aen. III 3 quae certo Berytio tribuitur¹). Qui uero liber enumeratus est a Montefalconio in indice codicum bybliothecae Pontiniacensis (Steup 180), dubitari potest num huc pertineat uel omnino ad Probum, cum tales inscriptiones usitatae essent in eiusmodi libris qualis fuit liber Bedae 'de temporum ratione' quo temporum et annorum computatio a Dionysio Exiguo instituta producta erat usque ad a. 1063 p. Chr. Denique ille quoque liber quem Pompeius GL V 182, 30 K affert 'de genetiuo Graeco' scriptum, Berytio tribuendus est, ubi quae adicit Pompeius 'tantummodo hoc solum tractat in illo libro, de hoc casu' mirum in modum repetere uidentur ea quae Suetonius tradidit de exiguitate scriptorum Valerii Probi. Accedit quod reuera Probus de hoc genetiuo quaesiuisse uidetur (Seru. Aen. I 441; cf. XII 649). Parum digna fide sunt testimonia Rufini (cf. K. Cybulla, de Rufini Antiochensis commentariis grammaticis, diss. Königsb. 1907 p. 32) qui in afferendis uerbis uel libris aliorum minime curiosus fuit, quippe qui uerba quae Firmiano attribuit GL VI 564, 7 K rursus eadem Victorino attribuerit 556, 23²). Tum ea quae 577, 8 ad Probum retulit, et in M. Plotii Sacerdotis libro leguntur et in catholicis Probi GL IV 42, 10 K. Accedit quod ne omnes quidem codices nomen Probi exhibeant. Quapropter Rufini testimonia neglegenda esse uidentur³); nihilominus ea quae

1) Quamquam Iulius Steup (p. 180) hoc quoque loco Berytium amouebat illa opinione fretus qua inde a Seruii (Diomedis fere aequalis) temporibus grammaticos confudisse Probi Diomedisque nomina arbitrabatur doctus ille quidem uir, sed subtilitatum argutiarumque nimis indulgens. — Ex Probi 'de conexione temporum' Diomedem sua 'de coniunctione temporum' (GL I 388, 10 sqq. K) excerpisse H. Keil (GL IV praef. XIX; symb. phil. Bonn. p. 94 sq.) significauit; cf. Otto Ribbeck, prol. ad Verg. p. 148.

2) quos locos ex eodem fonte haustos esse arbitratur Cybulla p. 13.

3) Atque quod Rufinus 577, 8 affert 'Probus de numeris oratoris sic dicit', tamquam commentarius quidam sit ille 'de numeris oratoris', caue ne decipiaris. Nam simili modo affertur 567, 30 'Cicero de numeris oratoris sic dicit', ubi quae sequuntur uerba sumpta sunt ex Oratore 63, 212; cf. praeterea quae de Valerio Probo Berytio disputauit H. Bornecque, Quid de structura rhetorica praeceperint grammatici atque rhetores latini, Paris 1898 p. 68—69.

Rufinus tradit GL VI 565, 1 K egisse Probum de mensura in fabulis Terentii et Plauti, inter testimonia Berytii recte receperis; nam Probum hac in re uersatum esse uel unum caput Gell. VI 7 comprobat. De 'Valerii Probi de nomine' commentario (GL IV 205 sq. K) egit Oscar Froehde (Fleck. Jahrb. 151 [1895] p. 287; Suppl. XIX [1893] p. 157 sq.) qui totam Probi disputationem pro excerptis ex libris Plinii habendam esse docuit; sed cf. Maximilianus Ihm, Rh. M. 52 (1897) 633.

Appendicem Probi quae dicitur qui ediderunt recensuerunt illustrauerunt, eorum nomina conlata sunt in 'Altfranzösisches Übungsbuch v. W. Foerster et E. Koschwitz, 3. Aufl. Leipz. 1907 p. 226 et 263'.

Denique in codice Vindobonensi 16 tractatui 'de catholicis Probi' subiecta est disquisitio de ultimis syllabis quam Parrhasius Probi nomine inscripsit. Quod cum coniecisset Italus ille, uiro Mineruam fauisse Carolus Hosius pronuntiauit in praef. edit. Gell. p. XXVII. Atque constat analogiae partes qui defenderent grammatici ex ultimis potissimum syllabis leges atque normas quibus adstringerentur uerba deduxisse (Quintil. I 6, 4: 'eius (analogiae) haec uis est, ut id quod dubium est ad aliquid simile de quo non quaeritur, referat et incerta certis probet. quod efficitur duplici uia: comparatione similium in extremis maxime syllabis, propter quod ea quae sunt e singulis negantur habere rationem, et deminutione'). An Probus, ut analogiae leges confunderet profligaretque, in ipsam inuasit prouinciam ex qua maxime subsidia trahebant aduersarii? Quod ad deminutiua, alterum illud proportionis praesidium, pertinet, certe ita fecit, teste Prisciano GL I 115, 12 K: 'Probus¹) etiam ponit hoc glandium haec glandula (pars est intestinorum), ensis ensiculus ensicula, praeterea haec beta malua, hic betaceus maluaceus'; 259, 17: diminutio tamen a masculino fit "aculeus" teste Probo'. Istiusmodi sane exemplis perturbabatur argumentatio grammaticorum atque lex illa: 'deminutio genus detegit' (Quint. I 6, 6; cf. Pomp. GL V 164, 13 K: 'Ait Plinius Secundus secutus Varronem: quando dubitamus principale genus, redeamus ad diminutionem et ex diminutio cognoscimus principale genus').

1) Berytium hunc esse nuperrime confirmauit Ludouicus Ieep, Philol. LXVII (1908) 35.

CAPVT ALTERVM: DE PROBO QVINTILIANI AVCTORE

(inst. orat. I 4, 7—12).

cf. Strass, Phil. 85, 331, 20

Quintilianus primo institutionis oratoriae libro grammaticae artis tamquam formam atque indicem expressit, non quo ipse in subtilitates grammaticorum descenderet¹⁾, sed ea tantum ex illorum disciplina delibaturus quae rhetoricae artis institutori non praetermittenda uiderentur²⁾. Qua in re eum magistri Remmii Palaemonis praecepta tradidisse facile putauerit quispiam nec non L. Annaei Cornuti, quem inter professores Quintiliani numerandum esse intellegitur conlatis eis quae leguntur apud Papirianum GL VII 161, 4 sqq. K, Cornutum GL VII 150, 5 sqq. K, Quintilianum I 7, 26 (Felix Solmsen, Studien zur latein. Lautgeschichte, Strassburg 1894 p. 41 sqq.); unde colligitur Quintilianum cum aequalem tum condiscipulum fuisse A. Persii Flacci poetae (cf. uit. p. 58, 12 sqq. Buech.). Atque perinde ac Persius, qui ubi primum a schola magistrisque deuertit, praecepta Remmii Palaemonis ita neglegebat ut ueterum studio captus uehementer incesset recentes, ipse quoque Quintilianus ab institutis praeceptorum recessit (I 7, 26; cf. I 4, 11)³⁾.

Atque de rebus grammaticis disserens exordium facit (I 4, 7) a disputatione de litterarum ui ac potestate, cuius disquisitionis duae aperte dinoscuntur partes. Nam prius (§ 7—10) quaerit an litterarum signa accommodata sint sonis; quo in discrimine

De Quintiliani de litteris disputatione (I 4, 7—12)

1) I 5, 54 'neque enim artem grammaticam componere aggressi sumus, sed cum in ordinem incurreret, inhonoratam transire nolimus'; neque rebus quae ad grammaticam spectarent diligenter eum operam dedisse apparet, quippe qui errauerit (I 7, 14) usque ad Accium et ultra porrectas syllabas geminis uocalibus Latinos scripsisse cum affirmaret; cf. Frid. Ritschl, opusc. IV 142; I. V. V. Claussen, Quaest. Quintilianeae, Fleck. Jahrb. Suppl. VI (1872) 372.

2) I 4, 17 'sed mihi locum signare satis est: non enim doceo, sed admoneo docturos'; I 5, 17 'sed hoc quoque notare contentus sum, ne arti culpa perueicacium perplexae uidear et ipse quaestionem addidisse.'

3) Neque in orthographicis tantummodo rebus Quintilianum uestigia professorum deseruisse, uerum relicto ludo eum omnino uoluntatem ac iudicium mutauisse supra (p. 6 sqq.) cognouimus, quippe qui ueteres denuo commendaret scriptores praelegendos. Quod ut faceret certe a Remmio Palaemone non institutus erat, cuius studia ita non ex ueterum disciplina pendebant ut Varronem porcum appellaret (Suet. de gram. 23). — De auctoribus quos Quintilianus secutus esset in exponenda disciplina grammatica qui scripserunt, eorum nomina congescit Balduinus Heinicke, De Quintiliani Sexti Aesclepiadis arte grammatica, diss. Strassb. 1904 p. 1 sqq.

iudicium defert auribus peritorum (§ 7) non aliter atque in studiis artis musicae. Atque duplicem instituit quaestionem, cum prius dispiciat num sufficiant litterarum signa uariis qui significandi sint soni, deinde quaerat an superuacuae sint aliquae litterarum notae. Ad alteram porro disquisitionis partem procedens (§ 10—12) de litterarum uim cum uocali tum consonanti disputat. Atque cum intellectum sit quarundam litterarum uim et usum inter utramque fluctuare, omnem uim ac naturam et uocalium et consonantium qua in re posita sit excutiendam esse postulat. Summa igitur huius disputationis Quintilianae exposita singula quae illustratione egere uideantur proponamus.

Nam quod dicit I 4, 7 'desintne aliquae nobis necessariae litterae, non cum Graeca scribimus, tum enim ab isdem duas mutuamur¹⁾, sed proprie in Latinis: ut in his 'seruus' et 'uulgus' Aeolicum digammon desideratur', haec non descripta esse ex auctore Claudio imperatore anteriore, sed post sublatam consuetudinem a Claudio impositam apparet ex I 7, 26: 'nostri praeceptores seruum ceruumque u et o litteris scripserunt, quia subiecta sibi uocalis in unum sonum coalescere et confundi nequiret, nunc u gemina scribuntur ea ratione quam reddidi: neutro sane modo uox, quam sentimus, efficitur, nec inutiliter Claudius Aeolicam illam ad hos usus litteram adiecerat', necnon XII 10, 29: 'Aeolicae quoque litterae qua seruum ceruumque dicimus, etiamsi forma a nobis repudiata est, uis tamen nos ipsa persequitur.' Quintilianus igitur, uel rectius dixeris auctorem Quintiliani, recte fecisse Claudium iudicat quod propriam notam intulisset ad proprium sonum significandum; quod uero Graecum signum transtulisset ad sonum Latinae linguae proprium, falsum fuisse imperatorem censet (XII 10, 30): 'cum etiam ipsae uocales duae efficiant sonum, qualis apud Graecos nullus est ideoque scribi illorum litteris non potest.' Alteram quoque quam desiderari dicit Quintilianus litteram ad designandum medium u et i litterae sonum, idem Claudius intulerat (†), quam perinde repudiauere posterum. Litteram, qua medius e et i litterae sonus redderetur, quam deesse putabat Quintilianus, nemo unquam proposuit. Qua de litteratura deficiente sonoque litterarum e et i incerto iterum disputauit in capite I 7, 21 quod est de orthographia: 'iam "optimus maximus" ut mediam i litteram quae ueteribus u

1) cf. XII 10, 27 'quas (y, z) mutuari solemus quotiens illorum (*Graecorum*) nominibus utimur'; cf. Claussen, l. s. p. 337.

fuerat, acciperent, Gai primum Caesaris scriptio (*cod.*: inscriptione *corr.* Funaioli, *Atene e Roma* [1908] XI 383 collato *Fragm. Rom. Gram. p.* 291 Funaioli) traditur factum. "here" nunc e littera terminamus: at ueterum comicorum adhuc libris inuenio "heri ad me uenit", quod idem in epistulis Augusti, quas sua manu scripsit aut emendauit, deprehenditur; ubi adnotandum est illum qui apud Gellium X 24 de inaequalitate consuetudinis 'diequinti' et 'diequinte' disserit, ipsum quoque cum comicorum ueluti Pomponii tum Cn. Matii usu et epistularum Augusti testimonio niti. Quae porro disputantur § 9 de litteris k q x superuacuis, non proferuntur a Quintiliano ex institutis Cornuti praeceptoris; qui quid sensisset hac in re, ipse exposuit GL VII 153, 1 sqq. K¹); ea uero quae apud Quintilianum proponuntur placita, plane eadem leguntur apud Diomedem GL I 423, 31 K: 'quidam Latino sermoni sufficere decem et septem litteras crediderunt, si quidem ex uiginti et tribus una adspirationis nota esset h, una duplex x, duae superuacuae k et q, duae Graecae y et z'; cf. Serg. expl. in Don. GL IV 519, 11 K: 'litterae Latinae cum XXIII sint, Varro XVII dicit esse; ceteras superfluas putat' necnon Marium Victorinum GL VI 8, 16 K: 'Nigidius Figulus in commentariis suis nec k posuit nec q nec x, idem h non esse litteram sed notam adspirationis tradidit' (cf. ib. 8, 11) et Prisc. GL II 13, 8 K: 'auctoritas tam Varronis quam Macri teste Censorino nec k nec q nec h in numero adhibet litterarum.' Quintiliani igitur auctorem cognouimus scripsisse post Claudii imperatoris tempora, Cornuti Palaemonisque placita repudiauisse, repetiuisse Nigidii Figuli et Varronis de numero litterarum doctrinam (cf. Marx ad Lucil. 377—381), praeterea in exigendis sonis non rationis regulas, sed aurem consuluisse, sicut in rebus grammaticis Valerium Probum fecisse Gellius tradit (XIII 21, 1), denique necessitate quadam coniunctum esse cum Gell. X 24 auctore quem Probum esse infra docebimus. Iam agendum erit de altera disputationis parte quae est de ui litterarum uocalium et consonantium (§ 10—12); cuius singula enuntiata, quo sunt pondere ac momento, deinceps pensitanda atque illustranda sunt.

1) praeterea in libro qui est de grammatica Varro, cum de litteris dissereret, [ita] (*seclusit Keil*) h inter litteras non esse disputat, quod multo minus mirum, quam quod x quoque litteram esse negat. in quo quid uoluerit, nondum deprehendi: ipsius uerba subiciam: "litterarum partim sunt et dicuntur, ut a et b; partim dicuntur neque sunt, ut h et x, quaedam neque sunt neque dicuntur, ut φ et ψ".

10 ATQVE ETIAM IN IPSIS VOCALIBVS GRAM-
MATICI EST VIDERE, AN ALIQVAS PRO CONSO-
NANTIBVS VSVS ACCEPERIT, QVIA 'IAM' SICVT
'TAM' SCRIBITVR ET 'VOS' (*corr.*, QVOS *libri*) VT
'COS'.

Voculae quae apud Quintilianum exempli loco subiectae leguntur in codicibus, emendandae esse uisae sunt uiris doctis, quod non apte positae essent. Nam cum in superiore enuntiato de duplici ui litterarum et uocali et consonanti actum esset, exempla ita comparari debuissent uidebantur, ut alterum litteram i uel u uocalem, alterum i uel u consonantem exhiberet. Itaque Fridericus Ritschl (opusc. III 710) posuit: 'quia 'iam' sicut 'etiam' scribitur et 'uos' ut 'tuos'.' Quem secutus est Ludouicus Radermacher (edit. Lips. 1907), ita tamen ut tertia sede lectionem librorum 'quos' restitueret scriberetque: 'iam' sicut 'etiam' scribitur et 'quos' ut 'tuos'. Hyginus deinde Funaioli de illa editione referens (Atene e Roma XI [1908] p. 379) iterum repetiuit Friderici Ritschl sententiam. Tamen uerborum quae tradita sunt, dempto tantummodo illo 'q' uocabuli 'quos', caue ne unam mutaueris litteram. Nam aptissima sunt exempla. Quae qui adiecit demonstraturus erat litteras uocales i et u interdum non uocales esse, sed pro consonantibus accipi. Atque uis et natura uocalis in eo posita est ut syllabam efficiat, cum ea sit condicio consonantium ut, quamuis immutatis illis, tamen nihil e natura syllabae mutetur. Id quod docet Velius Longus GL VII 46, 14 K: 'Scimus tamen subtiliorem factam esse diuisionem, ut uocales illae quidem dicerentur, sine quibus syllaba fieri non possit, ceterae consonantes quae cum his sonent: nam nihil mutatur ex syllaba'; porro ib. 48, 10 haec leguntur: '† constant omnes syllabae spiritu consonantis item accessionis loco esse ut immutatis illis nihil e natura syllabae mutetur'. Quae uerba cum corrupta sint editorque crucis notam adposuerit, id certo apparet agi de differentia quae intersit inter uocales et consonantes. Atque eam partem enuntiatorum quae est de consonantibus facile restituas: 'consonantes autem ita accessionis loco esse, ut immutatis illis nihil e natura syllabae mutetur'. Verbum quod infinita specie legitur, postulat alteram orationis partem ex qua pendeat; quam petas ex mutila quae praecedat pars enuntiatorum 'constant omnes syllabae spiritu': unde apparet 'constat' legendum esse. Qui uero illa uerba 'omnes syllabae spiritu' intellegere et sanare uoluerit, recte conferat Prisciani sententiam (GL II 44, 1 K): 'syllaba est comprehensio litterarum

consequens sub uno accentu et uno spiritu; abusive tamen etiam singularum uocalium sonos syllabas nominamus.' Unde apparet uocem illam 'spiritu' quam Henricus Keil deleuerat in ea quam proposuerat emendationem seruandam esse; atque conlatis illis quae apud ipsum Velium Longum 48, 5 leguntur: 'uocales enim eadem sunt et litterae et syllabae, non sicut ceterae (id est litterae consonantes); cum enim dicimus *ἀλφα* a, in priore litteram, in sequente syllabam dicimus'¹⁾, recte sensum hunc fere restituas: 'Constat omnes syllabas spiritu (determinari et ideo uel singulis uocalibus syllabam effici), consonantes (autem) ita (item *cod.*) accessionis loco esse, ut illis immutatis nihil e natura syllabae mutetur.' Iam prosequitur grammaticus: 'sicut nihil interest utrum 'a' dicimus an 'ba', sic nihil interest an et 'ia' dicamus et 'ua'.' Quam sententiam, cum in ea omnis quaestio posita sit, pluribus uerbis aperiā: 'natura syllabae a non mutatur, siue b siue i siue u praeposueris; id quod fieri non potest, nisi i et u litterae consonantes sunt. Nam si essent uocales i et u, syllabae 'ia' et 'ua' longae fieri debebant ex breui 'a'; (cf. l. s. 48, 14: 'cum duae uocales scilicet iunctae utique longam faciant, decebat et hac littera adiecta fieri longam syllabam'). Grammaticus igitur i et u litteras consonantes esse inde probauit, quod in syllabis constituendis easdem uices facere uiderentur atque quaelibet aliae consonantes, ita ut uel altera alteri supponi possit. Cuius rei exemplum statim subiungit (GL VII 48, 15): 'cum enim lego (Verg. Aen. V 643): "et iacit, arrectae mentes stupefactaque corda" fit primus pes dactylus, "et iacit", proinde ac si immutata hac ipsa i positaque pro ea alia consonante dicerem "et facit".' Iam apparet quam apte, ut consonantis usum declarauerit, auctor ille Quintiliani exempla posuerit 'nam IAM sicut TAM scribitur'. Alterum exemplum quo u consonantis usus confirmetur, legitur apud Quintilianum 'scribitur QVOS ut COS'; ubi illa uocula 'quos' sane non inepta posita uidetur, si quidem ipse quoque Velius Longus pronuntiat 49, 1 (= 58, 19): 'ibi quoque ubi cum littera q confusa est, u uicem consonantis habet'. Tamen suo iure miretur quispiam quod accusatiui pluralis figuram posuerit grammaticus ille auctor Quintiliani; nominatiuum ponere consentaneum erat, sicuti nominatiuum 'quis' posuit Velius Longus GL VII 53, 16 K, cum de qu disserreret. Accusatiuus certe

1) quae uerba sic tradita caue ne mutaueris duce Henrico Keil.

nequaquam ad rem demonstrandam pertinebat; neque tamen de terminatione -os dubitandum est; nam uoculam 'cos' exempli loco subiectam secundum prioris uocis figuram electam esse apparet, sicuti supra illi 'iam' subiungebatur consimile illud 'tam'. Quam ob rem caue ne 'cos' temere mutaueris; id tantummodo postulari apparet positam fuisse priore loco uocem in -os desinentem et u litteram exhibentem ea sede qua c littera consonans legebatur in 'cos'. Quam uoculam 'uos' Fridericus Ritschl, quamquam cetera non recte temptauerat, dudum restituendam esse sibi persuaserat. Qua restituta uides quam apte et concinne procedat exemplorum series: 'an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia 'iam' sicut 'tam' scribitur et 'uos' ut 'cos'.' Neque coniectura nos deceptos esse inde probatur quod haec ipsa uocabula 'iam'¹⁾ et 'uos' tamquam exempla i et u consonantis sollemni quodam usu erant in grammaticae Latinae disciplina, ueluti ea coniuncta exhibentur in [Prob.] instit. GL IV 49, 16: 'i et u transeunt in consonantium potestatem tunc . . . quando cum aliis uocalibus iunguntur, ut uates uecors, iam uos, maiestas maior, et cetera talia.'

AT QVAE VT VOCALES IVNGVNTVR, AVT VNAM
LONGAM FACIUNT, VT VETERES SCRIPSERVNT
QVI GEMINATIONE EARVM VELVT APICE VTE-
BANTVR, AVT DVAS.

'aut duas', sic libri. Fridericus uero Ritschl (opusc. III 722) 'διφθόγγων' legerat, quem fere secutus Ludouicus Radermacher in editione sententiam suppleuit. Sed uerba sicuti tradita sunt, sana et seruanda sunt. Atque hic est sensus: 'Quae litterae uocales ut uocales (animaduertas infra § 11: 'i littera geminabitur ut consonans') geminantur²⁾, aut unam longam syllabam faciunt,

1) 'iam' disyllabum miratur Scaurus apud Rufinum GL VI 561, 2 K: 'Scaurus in eadem fabula (*Pseudolo*) sic: NVNC IAM: "iam" diuisit in duas syllabas'.

2) nam 'iungi' tamquam 'geminari' hoc loco accipiendum esse, euincitur exemplo quod ad illam iuncturam uocalium demonstrandam additum est, geminationem dico Accianam; porro infra (§ 11) postquam docuit grammaticus Maiiam gemina i consonanti scriptam esse a Cicerone, inde probauisse se censet i iungendam esse ut consonantem; cf. Prisc. I 14, 8 'nam quamuis sit consonans, in eadem syllaba geminata iungi non posset'. Neque aliter sentiebat Conr. Leop. Schneider, *Elementarlehre d. lat. Spr.* Berlin 1819 p. 282 in adnotatione, cum explicaret: 'iungitur = ipsa sibi iungitur'. Unde efficitur deceptos esse Guilelmum Ständer (*Quaestiones Quintil.*, diss. Bonn. 1865 p. 22) necnon Frid. Ritschl qui *διφθόγγων* illud posuerit plane alienum a sententia.

uelut paastores leege luucem, aut duas syllabas, uelut metuunt coorior.' Nam in hoc uersabatur tota haec quaestio de litterarum ui uocali an consonanti exigenda, ut dispiceretur quid efficerent in constituendis syllabis. Accedit quod eodem tempore quo scripta est haec de litteris disquisitio, lis atque controuersia erat inter grammaticos, cum dissentirent utrum duae pares litterae uocales, cum iungerentur, unam syllabam facere possent an necessario duas efficerent syllabas. Etenim Accius instituerat longam syllabam duabus significare uocalibus, ea aperte ductus ratione qua sentiebat notis litterarum naturam sonorum quam accuratissime reddi debere. Atque cum talem scripturam commendaret, facere non poterat quin pronuntiaret duas pares uocales, cum iungerentur, unam syllabam efficere. Contra quam rationem contrarii exstiterant inde ab initio primi p. Chr. saeculi grammatici, ueluti L. Annaeus Cornutus qui GL VII 150, 5 K docuit: 'alia sunt quae per duo u scribuntur, quibus numerus quoque syllabarum crescit. similis enim uocalis uocali adiuncta non solum non cohaeret, sed etiam syllabam auget, ut uacuuus, ingenuus, occiduus, exiguus. eadem diuisio (cf. ib. 149₁₋₁₁) uocalium in uerbis quoque est metuunt statuunt tribuunt acuunt. ergo hic quoque e littera non q apponenda est.' Tum huc pertinent excerpta Papiriani (apud Cassiod. GL VII 161, 4 K): 'uulgus uultum paruuum toruum sunt qui putant per duo u scribi non debere, quod similis uocalis uocali adiuncta non solum non cohaereat, sed etiam syllabam augeat', deinde Terentius Scaurus GL VII 18, 12 K: 'primum igitur per adiectionem illa uidentur esse uitiosa, quod Accius geminatis uocalibus scribi natura longas syllabas uoluit, cum alioqui adiecto uel sublato apice longitudinis et breuitatis nota posset ostendi', tum Caesellius Vindex GL VII 205, 9 K: 'duae enim pares litterae, seu uocales sint seu consonantes, non coeunt', Mar. Victor. GL VI 15, 9 K: 'nam uocalis nulla bis eadem posita facit unam syllabam', denique Nisus¹⁾ apud Velium Longum GL VII 55, 25 K: 'nam nec Accium secuti sumus semper uocales geminantem, ubicumque

1) hunc Nisum esse ex eo colligitur quod 55, 3 negauisse dicitur 'onerandam pluribus litteris scriptionem esse, cum sonus ipse sufficiat'. Nam eam fuisse argumentationem Nisi, intellegitur ex excerptis Velii Longi apud Cassiodor. GL VII 155, 17 K: 'coniux sine n putat Nisus artigraphus esse scribendum; ... quamuis asserat (*Nisus*) non esse onerandam superuacuis litteris dictionem, ego (*Velius Longus*) tamen non fraudandum sonum existimo suis litteris'.

producitur syllaba, quoniam expedita debet esse condicio scribendi'. Quintiliani igitur auctor, sicuti in praecedentibus iam eum fecisse intelleximus, contra aequalium grammaticorum placita aperte se retulit ad ueterem, Accianam, liberae rei publicae disciplinam. Atque cum sententiam suam de litteris aperiret, pronuntiauit duas uocales geminatas unam longam syllabam facere necnon concedebat, interdum et duas syllabas effici posse concursu duarum parium uocalium (id quod ubique necessario fieri contenderant aduersarii).

NISI QVIS PVTAT ETIAM EX TRIBVS VOCALIBVS
SYLLABAM FIERI, SI NON ALIQVAE OFFICIO
CONSONANTIVM FVNGANTVR

'denn keiner nimmt wohl an, dass eine Silbe aus drei Vokalen bestehen könne, ohne dass einige von ihnen als Konsonanten gälten'. De significatione atque usu locutionis 'si non' cf. Dräger, *Histor. Synt.* II p. 744; de re conferas Caesellium Vindicem *GL VII 206, 10 K*: 'quidam huius Pompei Tarpei, hi Pompei Tarpei, his Pompeis Tarpeis per unum i scribunt: non nulli pusillo diligentiores alterum i his addunt: ego quoque tertium addendum praecipio. si enim ut docui nominatiuus duo i habet pro duabus consonantibus, hae perire nulla declinatione possunt.' Contra disputauit eandem quam Quintiliani auctor protulerat sententiam amplexus Priscianus *GL II 14, 10 K*: 'unde 'Pompeiii' quoque genetiuum per tria i scribebant quorum duo superiora loco consonantium accipiebant, ut si dicas 'Pompelli'; nam tribus i iunctis qualis possit syllaba pronuntiari?'

11 QVAERET HOC ETIAM QVO MODO DVABVS
DEMVM VOCALIBVS IN SE IPSAS COEVNDI
NATVRA SIT, CVM CONSONANTIVM NVLLA NISI
ALTERAM FRANGAT

cuius enuntiati hic est sensus: 'Qui fit ut uocales tantummodo, si quae geminantur, ita in se coeant ut unam efficiant syllabam, consonantium uero duae, si geminantur, nunquam uni tribui possint syllabae¹⁾ atque adeo, si duae impares

1) hoc est enim 'in se coire'. Quam locutionem, cum de uocalibus dicitur, ipsa natura docet idem significare atque 'unam efficere syllabam'. Hoc loco 'in se coire' de consonantibus quoque cum dictum sit, simili ratione idem ualere atque 'sub unius syllabae spiritu comprehendere' ex totius enuntiati ac sententiae conexu deducimus. Neque nos deceptos esse Terentianus docet qui de syllabis

concurrant consonantes, ea demum condicione sub unius syllabae spiritu comprehendantur, ut altera alteram frangat?' At quid est illud 'frangere'? Etenim conferenda sunt uerba Quintiliani XII 10, 29: 'quae (littera f) etiam cum uocalem proxima accipit quassa quodammodo, utique quotiens aliquam consonantem frangit, ut in hoc ipso 'frangit', multo fit horridior.' Nonne significare uoluit scriptor in hac litterarum comprehensione, quae est fra, alteram consonantem alteram ita debilitare, ut extenuato secundae litterae sono¹⁾ ambae sub uno spiritu pronuntiari possent, id est ut uni attribuerentur syllabae? Nam re uera antiqui grammatici in eas descenderunt subtilitates, ut ex omni consonantium comprehensionum numero segregarent eas quae sub unius syllabae termino pronuntiari posse uiderentur. Quo in numero erat haec ipsa de qua quaerimus comprehensio 'fr', quam Terentianus²⁾ GL VI 350, 838 K affert: 'atque item frugem atque frondem nominas et talia.' Quae disputatio Terentiani conferenda est cum iis quae Caesellius Vindex consimili plane ratione disputat GL VII 205, 1 sq. K, qui exorsus a diuisione syllabarum excutit consonantium coniunctiones quae 'cohaereant' et ideo uni possint syllabae accommodari, et illas quae 'non coeant', ita ut ad diuersas diuidantur oporteat syllabas. Atque geminatae consonantes in iis numerantur quae nunquam coeant (ib. 205, 9); cf. Prisc. GL II 14, 8 K. Quae si recte disputata sunt, apparet apud Quintilianum quaeri de iisdem his consonantium proprietatibus, et cum affirmetur 'frangi alteram ab altera con-

disserens eodem modo hac locutione usus est, cum consonantes complures sub una syllaba comprehendi designare uellet, ueluti GL VI 353, 932 K:

scri-nium stru-emue quando splen-didumue dicimus.

tres tamen nunquam coibunt, uda ni sit tertia. cf. GL VII 205, 6 K sqq.

1) de significato uerbi 'infringere' cf. Consentii ars GL V 395, 3 K: 'ecce in littera t aliqui ita pingue nescio quid sonant, ut cum dicunt 'etiam' nihil de media syllaba infringant. Graeci contra, ubi non debent infringere, de sono eius litterae infringunt, ut cum dicunt 'optimus', mediam syllabam ita sonent quasi post t z Graecum ammisceant.'

2) quem primum hanc de consonantium natura disquisitionem instituisse caue ne sentias. Nam postquam de littera f cum r coniuncta disseruit, pergit ad m consonantem GL VI 350, 839 K: 'non item potest secundam (m) copulare et tertiam (n), quia secunda m ugit intus abditum et caecum sonum'. Plane similiter Quintilianus XII 10, 30 postquam de 'fr' comprehensione disputauit, ita prosequitur: 'Quid? quod pleraque nos illa quasi mugiente littera cludimus m?' Ex quo intellegitur, et Terentianum et Quintilianum auctorem secutos esse eundem, Graecum illum quidem uel Graeca nisum arte et disciplina.

sonante', ea re designari has duas impares consonantes sub una posse comprehendi syllaba.

ATQVI LITTERA I SIBI INSIDIT ('CONIICIT' ENIM EST AB ILLO 'IACIT') ET V, QVOMODO NVNC SCRIBITVR 'VVLGVVS' ET 'SERVVS'

Atque sibi insidere non possunt nisi duae litterae; geminum igitur i scribendum docet scriptor¹⁾, neque tamen ita ut eiusdem iuris ac potestatis esse duas uocales uoluerit. Sed quod dixit 'sibi insidere', significare uoluit alteram comprimi quodam modo ab altera et ad consonantis potestatem reduci, sicuti [Probus] de ultimis syllabis docet GL IV 221, 3 K de i et u consonantis loco positis, exemplis usus 'tum Iuno omnipotens' et 'altius ad uiuum persedit': 'nec inmerito prior a posteriore comprimitur, quia facultas obruendi praecedentem a tergo insidiantibus exhibetur'. Quintiliani igitur auctor priorem litteram i tamquam consonantem defixam esse uoluit secundae uocali i; denique recte omnino duas i scribi comprobauit euocata uocis origine. Deinde procedens et u consonantis usum declaraturus lectorem refert ad communem sui temporis in scribendis uerbis 'seruus' et 'uulgus' consuetudinem. Qua de descriptione in epimetro disputabimus qui fuerit usus quidque grammatici hac in re praeceperint. Nunc id placet monuisse quam diuersa ratione auctor Quintiliani uersatus sit in tractanda descriptione *ii* et *uu*. Nam de hac disserens lectorem ad communem publicumque usum referre satis habuit, illam uero *ii* geminam scriptionem argumentis confirmet oportere putat. Id quod fecit declarata etymologia: 'coniicit' est enim ab illo 'iacit'. Atque hac in re probare licet recte nos dixisse Quintilianum non suo Marte his de rebus disserere, sed alterius cuiusdam auctoris doctrinam proferre. Nam idem hoc exemplum geminae scriptionis *ii* iterum legitur apud Velium Longum GL VII 54, 20 sqq. K et Gell. IV 17, 8, quorum neuter sane in rebus grammaticis Quintilianum adiit, quem inter auctores Gellius ne nominauerit quidem. Gellii autem uerba sunt haec: 'nam uerbum ipsum... non est "icio", sed "iacio" et praeteritum non "icit" facit sed "iecit". Id ubi compositum est, a littera in i mutatur etqs.', cum Velius Longus (l. s. 55, 1) haec doceat: '(coniicit), nam si est aliud iacit, pro a i substituitur,

1) id quod nouisse non parui momenti est, cum scriptio 'conicit' fere usitata fuerit primo p. Chr. saeculo (W. Brambach, Die Neugestaltung d. lat. Orthogr. 1868 p. 201).

ut (uim) uocalis obtineat manente priore i quae consonantis uicem implebat: ubi facile intellegitur pro corrupto illo 'aliud' collatis uerbis Gellianis ('id ubi compositum est') legendum esse: 'nam si est *ab illo* "iacit", pro a i substituitur¹⁾ etqs.': quibuscum uerbis conferenda sunt illa Quintiliani: 'coniicit enim est ab illo iacit', unde id quod aliunde iam apparebat, nunc restitutis uerbis etiam uerborum similitudine demonstratur Quintilianum, Velium Longum, A. Gellium hac in disputatione de gemina litterae i descriptione eundem auctorem repetiuisse.

SCIAT ETIAM CICERONI PLACVISSE AIIO MAII-
AMQVE GEMINATA I SCRIBERE: QVOD SI EST,
ETIAM IVNGETVR VT CONSONANS

Significare autem uoluit scriptor duo i scribenda esse non modo quotiens prior littera i propter consonantis naturam non in unum sonum coalescere posset cum insequente i uocali, sed probaturus est i litteram ita quoque geminari ut utrumque i consonans sit. Id quod fecit euocata auctoritate Ciceronis qui aiiio Maiiamque geminata i scripsisset²⁾; quibus in uocabulis, quippe quae bisyllaba essent, i uocali locum omnino non esse.

Ostendit igitur auctor Quintiliani litteras i et u recte geminari quotiens consonans uocali defixa esset, sicuti in 'coniicit' et 'uulgus'. Geminari uero, ita ut utraque littera posita esset consonantis potestate, i tantummodo litteram demonstrauit (Maiia, aiiio)³⁾.

Singulis uerbis excussis atque enarratis Quintilianae disputationis summa exponenda est. Ille igitur Fabii auctor quem

1) Henricus Keil in editione posuerat uerba qualia emendauisse sibi uisus erat Guilelmus Schmitz, Beiträge z. latein. Sprache. Leipz. 1877, p. 78.

2) cf. Velius Longus GL VII 48, 19 K: 'illud sane animaduertendum, hanc eandem litteram (i) non nunquam pro duabus consonantibus sonare, si modo sequente uocali interiecta sit'; cf. 54, 16: 'Cicero uidetur auditu emensus scriptionem, qui et Aiiacem et Maiiam per duo i scribenda existimauit' et Marius Victorinus GL VI 10, 4 K: 'sonus aurium arbitrio subiectus est. clarorum autem uirorum, quos supra nominaui, consuetudinem in libris reperire possumus eorum.'

3) Quae differentia apud posterioris aeuī grammaticos seruata est: Serg. expl. Don. GL IV 521, 34 K: 'est etiam duplex, quod concessum est i litterae tantum, quotiens est loco consonantis'; Pomp. GL V 105, 30 K: 'i littera geminari potest tunc quando inter duas uocales est constituta in una parte orationis . . . et hoc contingit i litterae tantummodo, u nunquam contingit . . . ergo hoc est speciale huius litterae'; cf. Terentianus GL VI 343, 617 sqq. K.

post Palaemonis Cornuti Claudii imperatoris tempora fuisse cognouimus, de discriptione uocalium et consonantium quaerens i et u litteras interdum consonantes esse eo argumento docet, ut eas eadem uice ostendat fungi atque quaelibet alia consonans, quandoquidem in eo quod est 'iam' dempto i et substituto t, ita ut 'tam' factum sit, nihil e natura monosyllabi mutetur; idemque ualere in 'uos' et 'cos'. Deinde procedens et de omni ui ac natura uocalium et consonantium requirens condicionem litterarum geminatarum tractat de qua propriam quandam proposuerat sententiam grammatica disciplina primi p. Chr. saeculi medii (uide p. 112 sqq.). Cui sententiae officiens Quintiliani auctor docet geminatas uocales aut unam longam syllabam efficere ueluti in geminatione Acciana (id quod grammatici tum temporis fieri posse negabant (cf. p. 111), aut duas, (id quod ubique et necessario fieri grammatici uolebant (cf. p. 91); trium similium uocalium syllabam effici non posse. Deinde ad consonantes transgressus statuit duas impares tantummodo consonantes, quarum altera alteram frangat, ita in unum sonum coalescere, ut una syllaba comprehendi possent, geminatas uero consonantes, secus ac uocales, omnino non in se coire posse. *Atqui* (iam id quod in uniuersum statuit, ad singulas litteras i et u transfert) euenit ut i quoque littera consonans non in se coeat sibi ipsa praeposita, siquidem in illo 'coniicit' duplex i postuletur ex origine uocis ('*est enim ab illo iacit*') neque minus consonans u sibi ipsa praeposita in communi scriptione 'uulgus' et 'seruus'. Atque adeo i consonans non coit cum sequente i non modo cum haec sit uocalis, uerum etiam cum sit consonans, quandoquidem Cicero, qua sit auctoritate, auditu emensus Maiam et aiiio duplici i scripserit: *quod si est*, apparet i litteram, quotiens consonans sit, ita accommodari uniuersae consonantium legi ac naturae, ut sibi ipsa praeposita non coeat ideoque sine dubio gemina scribenda sit.

De Quintiliani auctore

Quintilianeae disputatione exposita postquam intelleximus Fabium, Velium Longum, Gellium eiusdem grammatici auctoritatem secutos sua exhibuisse, nunc aperiendum erit quis fuerit ille. Atque Gellius eam quam IV 17 retulit dissertationem Sulpicio Apollinari tribuit. Qui uerus ac principalis auctor esse nequit ideo quod eadem iam apud Quintilianum leguntur. Sed Plinii nomen facile protulerit quispiam, quippe qui contra recentiorum grammaticorum disciplinam Accii praecepta secutus u productum gemina littera exprimere solebat in quartae declinationis

nominibus (Detlefsen, *Symb. phil. Bonn.* 1864—67 p. 712; cf. Brambach, l. s. p. 132), qui sub ipsis illis temporibus quibus hanc disputationem institutam esse intelleximus, anno 67 libros grammaticos edidit, in quibus de litterarum potestate et de recte scribendi ratione disseruit (I. W. Beck, *C. Plinii Secundi librorum dubii sermonis VIII rel.* Lips. 1894 p. 89; 1; 45; 82), qui ipse quoque ad Ciceronis auctoritatem se referebat in scribendis litteris (Char. GL I 137, 27 K: “Maioreis” Cicero, ut Plinius eodem libro notat’). Tamen sententia de Plinio auctore hac in re remouenda est; nam is qui apud Gellium i geminandum esse in uocabulis ‘subiicit’ similibus praecepit, duplicem litteram eo consilio commendabat, quo magis aperte designaretur syllabae prioris mensura, quae insequentibus demum duabus consonantibus positione longa fieret, natura autem breuis et ita pronuntianda esset. Qua in re opinioni maxime eorum officiebat qui metri gratia primam syllabam barbaramente producerent in compositis (§ 9 ‘nisi quis tam indocilis est, (ut) in hoc quoque uerbo ‘in’ praepositionem metri gratia protendat’). Unde apparet Plinium auctorem non esse, quippe qui censuerit posse metri gratia figuram dictionum mutari (Seru. ad Aen. II 18). Atque Velius Longus, qui ita diuersus erat a Terentio Scauro, ut hic certam quandam et definitam recte scribendi rationem protulerit, ille non nisi uaria sui temporis placita congesserit (Brambach 47), inde a p. 54 sqq. sententias expositurus quae de simplicis uel geminae i litterae scriptione ferrentur, 54₁₅—55₂ praecepta eorum retulit qui Troia Maiia et coniicit duplici i scribenda esse docuissent. Qui uero fuerit is qui Ciceronis auctoritatem secutus ‘Troiam et si qua talia sunt’ gemina i scribenda esse postulauerit, Seruiani plenioris commenti auctor tradidit, qui ad Aeneidis primum uersum adnotauit: ‘Probus ait Troiam Graios et Ajax non debere per unam i scribi.’

M. Valerii Probi nomine ratione ac uia reperto tamquam auctoris quaestiunculae illius de uaria litterarum ui uocali atque consonanti, alia argumenta accedunt quae comprobent. Nam de Cornuti, Quintiliani, Terentii Scauri, Veli Longi, Marii Victorini communi fonte quaesiuit Guilelmus Schady in dissertatione de Marii Victorini lib. I cap. IV (Bonn, 1869). Qua in re num omnino recte iudicauerit scriptor (cf. Ludouicus Mackensen, *De Verrii Flacci libris orthographicis*, diss. Lips. 1896 cap. II et III) nunc non disquiram, hoc uero probauit inter omnes ad uerba auctoris proxime accessisse Marium Victorinum. Atque hoc sane memorabile est, quod inter omnes qui aetatem tulerunt grammatici

scriptores, unus Marius Victorinus geminae i litterae scriptionis exempla exhibet Probiana atque ea quidem integra. Nam Probum 'Troiiam' 'Graios' 'Aiiacem' scripsisse Seruius docet, 'aiio' Probum scripsisse colligitur ex Prisc. GL II 494, 3 sqq. et 541, 18 sqq. K. Quae exempla integra leguntur apud Marium Victorinum GL VI 27, 9 K: 'Troia aiio Graios Aiiac'; cf. ib. 24, 21 et 35, 25. Obserues praeterea quam recta uia deducant ad Berytium ea quae supra (p. 87) de auctore Quintiliani cognouimus, scripsisse eum post Claudii tempora, Cornuti Palaemonisque placita repudiauisse, Varronis disciplinam repetuisse, necessitate coniunctum esse cum Gellii capitis X 24 auctore¹).

Iam uniuersa Berytii hac de re sententia exponenda erit. Atque primum agendum erit de usu simplicis aut geminae litterae i scribendae quatenus patuerit apud Romanos, ut inde iudicemus, quid Valerius Probus hac in quaestione profecerit.

De duplicis i
scribendi usu

Geminum duabus uocalibus interiectum i num quis ante Ciceronem scripserit recte dubitauerit quispiam (cf. E. Schneider, Dial. Latin. exempl. [Lips. 1886] indicem; Ribbeck, proleg. 138), sed post Ciceronis et Augusti tempora hic usus magis increbuit (Brambach 184; Theod. Mommsen, Gesammelte Abhandlungen, I p. 347). Atque quaeri potest an certa ratio deprehendi possit quam quoque loco secuti homines Latini posuerint geminam litteram i aut omiserint. Etenim Guilelmus Corssen (I² [1868] 303 sq.) et Guilelmus Schmitz (l. s. p. 75 sq.) sibi persuaserant 'ii' poni maxime longae uocali subiectum; tum enim naturae quadam necessitate facile produci litteram i in pronuntiatione. Quae sententia rebus non confirmatur. Nam neque 'Aiax' neque 'Maia' neque 'peior' priore syllaba longa pronuntiabant Latini, sed insequente demum duplici i positione producebantur, sicuti testantur Diomedes GL I 428, 10 K (Aias) et Terentianus GL VI 343, 619 sqq. K (Troia, Maia, peior, ieiunium); breuem praeterea priorem syllabam uocabuli quod est 'peior' confirmat forma itala quae

1) Balduinus Heinicke (l. s. p. 18) ea quae a Quintiliano de litterarum potestate proferrentur, repetita esse ab Asclepiadis disciplina docuit. Id quod accomdatum est huic de Probo Quintiliani auctore sententiae, ita tamen ut Valerius Probus suam de litteris disputationem instituerit ex exemplo Asclepiadis, ex Berytio deinde Quintilianus sua adsumpserit. Nam Probi disciplinam conuenisse cum Asclepiadis institutis supra (p. 63) intelleximus, cum de scriptorum interpretatione disputarem. Nam Quintilianum non Graecum, sed Romanum potius scriptorem secutum esse in tractanda geminae u litterae quaestione, iudicia indicant uelut I 4, 7; XII 10, 30; et omnino i consonans a Graeca ratione remotum erat (Consent. GL V 394, 14 K).

nunc circumfertur 'peggio'. Atque Henricus Cocchia (Rivista di filol. XV [1886—7] p. 420 sq.; conf. Franciscus d'Ovidio, Archivio glottolog. ital. X [1886] p. 435) inquisiuit in nomina quae i consonans uocalibus interiectum exhibent, in quibus quae esset mensura syllabarum demonstrare studuit ex ratione quomodo compositae essent uoces, quomodo perscriptae essent a Graecis, quomodo a poetis in metro comprehensae essent, quomodo nunc circumferrentur transmutatae in linguis Romanicis. Praeterea perquam uarius atque diuersus fuit usus. Etenim ponebant i geminum, praeterquam ad significandum crassiorem i consonantis sonum, ut uocalem i longam designarent, quo de usu egit Guilelmus Schmitz, De i geminata et i longa, Progr. Düren 1860; atque adeo coniungebatur i cum *ī* longa, ueluti scribebant *ειῖvs* (Weissbrodt, Philol. 43 [1884] 444 sqq.). Iam intellegis certam legem minime obseruatam esse, cum unusquisque suo fere arbitrio auditu emensus, sicuti Cicero faciebat, duas uel unam litteram i poneret. Quo magis interest hac in uarietate consuetudinis uidere quid praeceperint grammatici. Qua in re afferenda est imprimis sententia Nisi qui priore parte primi p. Chr. saeculi fuisse censetur, qui productum esse atque pinguem hunc i consonantis sonum cum non negaret, tamen pluribus signis scripturam onerandam esse uetabat, praesertim cum ne Graeci quidem duplicem ponerent litteram i. Quam sententiam impugnauit M. Valerius Probus, cum Graecas imprimis uoces Troiam et Aiiacem, secus ac Graeci, gemino i scribendas esse praeciperet, neque Niso concederet qui GL VII 55, 9 K (cf. p. 91 adn.) pronuntiauerat non esse Latinis alterum i necessarium, cum in nomine Latino non scriptio immutaretur sed sola enuntiatio. Nam re uera apud Graecos talibus in nominibus i littera cum praecedente uocali in diphthongum contracta erat, ueluti Dionysius Thrax p. 18 Uhl. docebat: *μακρὰ συλλαβὴ γίνεται . . . φέσει . . . όταν ἔχη μίαν τῶν διφθόγγων οἷον Αἶας*; cf. Prisc. GL II 37, 21 K¹). Latini uero cum talia nomina peregrina transferrent, diphthongum non ubique receperunt; nam Troea Aeas dicere debuerant sicuti Euboea et Phoebus et Aeacus. Tamen id quod Victorinus GL VI 35, 28 K refert de uoce 'Troiaque':

1) Quamquam per diaeresin quoque nonnulli efferebant has uoces, sicuti apparet ex schol. Hom. Γ 198: *Οἴῶν* Ἀρίσταρχος δισυλλάβως ὡς αἰῶν καὶ Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης. Ἀριστόνικος δὲ τρισυλλάβως ὅς τ' οἶων μέγα πῶν; porro Etymol. Gud. p. 377, 31 = Philoxenos fr. 11 Funaioli: *Μάιος· Φιλόξενος δὲ λέγει ὅτι παρ' Αἰολεῦσι ἢ γραφὴ διὰ τοῦ ἰῶτα. — Μάιον κατὰ διάλυσιν τοῦ ἰῶτα.*

'alii oi diphthongum uolunt esse, ut sit pes dactylus prima syllaba natura longa troi, sequentibus duabus breuibus a et que', praeter hunc docuit nemo unquam. Sed per diaeresin Latini pronuntiare solebant talia nomina, ita tamen ut non tamquam uocalem profferrent litteram i, sed ut consonantem productiore quodam ac pingui sono¹). Quem sonum qua erat auris subtilitate Cicero cum exprimere uellet, duo ponebat i, quae poni deinde uetuit Nisus, iterum Probus commendauit. Omnino recte igitur Priscianum rem exposuisse apparet GL III 467, 33 K: 'Cur Troia' cum apud Graecos oe diphthongon in priore habeat syllaba, non seruat etiam apud nos? Quia in disyllabis in quibus ae uel oe diphthongi antecedunt sequenti uocali, diaeresin solent facere Latini plerumque et pro consonante duplici accipere i et eam a priore subtrahere syllaba et adiungere sequenti; quamuis antiqui solebant duas ii scribere et alteram priori subiungere, alteram praepone sequenti, ut Troiia Maiia Aiiax. hanc tamen consuetudinem Latini habuerunt Aeoles imitantes qui *κοῖλον* per diuisionem dicunt *κοῖλον* et multa similiter diuidunt.'

Sed praecepti Berytii uis latius patebat. Neque enim Accii Ciceronis Augusti, qui in scribendo sonorum naturam ac uarietatem utique litterarum notatione exprimendas esse censuerant, sententiam secutus satis habebat iterum duplicem i litterae scriptionem commendare, sed huic qui etiamtum ex arbitrio fere uniuscuiusque et opinione pendebat usus, certam subiecit rationem cum origine uocum demonstrata (ueluti in 'coniicit') tum omni litterarum consonantium ui ac natura declarata, qua duae pares litterae consonantes in se coire non possent (Quintil. I 4 11; uide p. 92, 93) et idcirco etiam in scriptura geminandae essent. Neque in rebus orthographicis Valerius Probus constitit, sed inde procedens hac duplici i litterae scriptione, cui certum quoddam quo condita esset fundamentum suggesserat, usus est ad mensuras syllabarum in numeris ac metro pensandas atque tuendas. Nam hac potissimum cogitatione ductum eum geminationem i litterae in uerbo 'coniicere' similibus praecepisse apparet ex capite Gelliano IV 17. Eadem Berytii uoluntas conspicua est in eo quod Troiia Graiiis Aiiacem per unum i scribenda esse negabat; nam id praeceptum adnotatum est ad primum uersum Aeneidis, et cetera quoque exempla ex carmine Vergilii adsumpta sunt (cf.

De Valerii
Probi studiis
prosodiacis
cum ortho-
graphicis
coniunctis

1) Propriae huius Latinae gentis pronuntiationis testimonia sunt haec fere: GL VII 55, 4 sqq. K; VI 31, 3 = I 15, 15 cf. IV 221, 34; VII 72, 2; IV 521, 35; VII 206, 6; II 14, 6.

Ribb. prol. 147). Praeterea exemplum 'Troia' postea in nullo eorum quae conscribi solebant a grammaticis capita de mensuris syllabarum non adfertur. Accedunt uersus Terentiani GL VI 344, 640 K: 'proderit nil ergo gemina (sc. u), sicut i bis profuit cum facit longam priorem Troia Maia et talia.' Duo igitur officia Valerius Probus orthographiae tribuit, ut sonos exprimeret, ut ambiguitatem syllabarum tolleret. Atque eadem prorsus sententia prolata est apud Quintilianum I 7, 31: 'hic enim est usus litterarum, ut custodiant uoces et uelut depositum reddant legentibus. itaque id exprimere debent quod dicturi sumus'; I 7, 1: 'cuius (recte scribendi scientiae) ars non in hoc posita est, ut nouerimus quibus quaeque syllaba litteris constat (nam id quidem infra grammatici officium est) sed totam, ut mea fert opinio, suptilitatem in dubiis habet.'

Aucta est, neque tamen feliciter, doctrina Probi a Caesellio Vindice, qui GL VII 206, 6—15 K magistrum diligentia superaturus tria praecepit esse scribenda i in genetiuis uelut Pompeiit Tarpeiit, ea ratione usus quod consonantium quae in nominatiuo recte scriberentur, in declinatione perire possent nullae. Quam triplicis i scripturam a grammatico excogitatum ultra terminos scholae non excessisse inde intellegitur quod in titulis talia i tria perscripta omnino non exstant. Quod uero diximus post Probum demum hanc scripturam innotuisse in grammaticorum scholis, haec sententia, praeterquam quod ipse Caesellius dicit se hanc scriptionem nouauisse, comprobatur uerbis Velii Longi qui (l. s. 54, 19) postquam de Probi placito disputauit qui 'per duo i scribi oportere existimat, sic et Troiam et si qua talia', prosequitur quasi de suis temporibus referens: 'inde crescit ista geminatio et incipit per tria i scribi coiicit.' Quod intellexisse non parui momenti est. Nam Priscianus quoque de hac nimis curiosa scriptione egit GL II 14, 3 K adlata Caesaris et Victoris (*sic editor, auctoris libri*) auctoritate. Neque enim recte Ludouicus Jeep (Philolog. 67 [1908] p. 14; cf. C. Cybulla op. l. p. 39) auctoritatem Caesaris et Victoris uel Victorini arcessitam esse putauit ad geminae i litterae scribendae usum comprobandum. Cui sententiae officit cum enuntiati compositio atque structura, tum maxime, quod Priscianus ipse (GL II 303, 7 K) tradit 'omnes qui de littera curiosius scripserint' affirmare litteram i inter duas uocales positam geminari, et ideo ad confirmandam geminae i litterae scripturam non duos illos tamquam unicos euocare debebat testes, sed Ciceronem, Quintilianum, Probum, Velium

Quomodo
amplificata
sit doctrina
Probi a Caesellio Vindice

De Prisciano
GL II 14, 3 K



Longum, Marium Victorinum, Terentianum, Pompeium, ex quibus Quintiliani nomen ipso hoc capite (18, 12) attulerat. Ergo non dubitandum esse uidetur quin triplicis i testes a Prisciano adhibiti sint duo illi obscuriores grammatici. Sed de nominibus qualia nunc leguntur in codicibus, recte dubitatur¹⁾. Nam Caesaris nomen recte positum esse ne putemus, temporum ratio obstat, cum post Probum demum nouam hanc scriptionem inuentam esse intellexerimus a Caesellio. Cuius igitur nomen Caesare submoto oportet restituas²⁾. Neque haesites in restituendo ignoti illius grammatici nomine, quem solum inuenerit Caesellius ineptiae asseclam; nam recte dudum Martinus Hertz pro 'auctore' 'Victorem' posuit (cf. Buecheler, Rh. M. 36, 330).

Qui gram-
matici Probi
doctrinam
secuti sint

Praeter Caesellium Vindicem doctrinam Probi secuti sunt et in commentariis retulerunt hi grammatici: Marius Victorinus (cf. p. 98) GL VI 24, 18 K '(littera i) sibi ipse subiungitur in his, ut aii Troiia Gaius Aiiax'; 27, 9: '(fiunt positione longae modis octo) . . . octauo, si excipitur ab i littera duplicata, ut Troiia aii Graiius Aiiax; cf. 35, 25. — [Maximi Victorini] de finalibus GL VI 241, 35 K: 'aio quam i littera geminata et inter duas collocata uocales reddidit longam'. — Victorinus GL VI 197, 16 K: '(Positione longae fiunt) . . . aut cum correpta uocalis desinit in uocalem loco consonantis positam et excipitur aequae a uocali loco consonantis posita ut (A. VII 429) "maior agit deus" et (A. II 56) "Troiaque nunc stares"; sic enim ista scribi per geminatam i litteram metri ratio deposcit.' — Diomed. GL I 428, 10 K: '(positione longa fit syllaba modis septem) . . . septimo, cum correpta uocalis desinat et interposita i excipiatur a uocali, ut (A. I 41) "furias Aiakis Oilei", et (A. II 56) "Troiaque nunc stares", et (A. III 374) "nate dea nam te maioribus", quoniam inter duas uocales duarum syllabarum posita i geminatur; sic enim scribi per geminatam litteram metri ratio desiderat, siquidem potestatem tuetur duplicis consonantis.' — Audacis excerpta GL VII 328, 9 K = Victorini GL VI 197, 16 K (uid. supra).

Postremo recensendi sunt qui Berytii doctrinam ipsi numpro bent haesitant uel omnino eam retulisse satis habent:

1) dubitauerunt Carolus Lachmann ad Lucret. 371, Otto Ribbeck proleg. 138, denique Ludouicus Ieep. l. s.

2) nam facile librarii notissimum nomen Caesaris substituebant simili cuidam; sicuti apud Cassiodorum GL VII 214, 24 K 'Probus et Censorinus' opponuntur Donato, cum in Excerpt. ex com. in Don. GL V 326, 21 K simili in iudicio 'Probus et Caesar' legatur.

Donatus GL IV 368, 27 K: '(syllaba longa fit positione, cum desinit) . . . in i litteram solam loco consonantis positam, quam non nulli geminant¹⁾, ut (Enn. ann. VI 186 Vahl.) 'aio te Aeacida Romanos uincere posse.' — Diomedes GL I 424, 25 K. — Mar. Victor. GL VI 35, 21 K. — Seruius ad Aen. I 1: 'Probus ait Troiam Graios et Ajax non debere per unam i scribi'. — Terentianus GL VI 343, 617 K:

Est adhuc quo separatae I et V dissentiant.

I media cum conlocatur hinc et hinc uocalium,
Troia siue Maia dicas peior aut ieiunium,

620 nominum primas uidemus esse uocales breues,
I tamen sola sequente duplum habere temporis.
ergo uel loco duarum consonantum fungitur,
uel gemella si locanda est, ut uidetur pluribus,
bis tibi uocalis eadem praebet usum consonae,

625 ante uocalem sequendo, cum priore syllaba,
praedita et mox insequenti, iure quo fit consonans.
hoc in his tantum inuenimus nominum uocalibus,
I secundo conlocata consonae ut ualeat loco.

cf. VI 330, 175:

atque i geminum scribere nos iubent magistri.

— Prisc. GL II 303, 4 K: 'nam solebant illi (antiqui) non solum in principio, sed etiam in fine syllabae ponere i loco consonantis, idque in uetustissimis inuenies scripturis quotiens inter duas uocales ponitur, ut eius Pompeius Vulteius Gaius, quod etiam omnes qui de littera curiosius scripserunt, affirmant. nec non etiam metra ostendunt quod dicimus et regulae ipsius ratio in supra dicto uocatio.''

Sicuti in ea parte quae est de litterarum potestate Quintilianus Berytii disciplinam repetiuit, ita de nominibus peregrinis disputans (I 5, 59 sqq.) Valerii Probi sententiam eum retulisse docuit Ludouicus Radermacher Rh. M. 60 (1905) 243 sqq; (cf. Paulus Wessner, Burs. Jahresb. 138 [1908] 102). Denique de Probo Quintiliani auctore conferas p. 101; 121; 124.

De ceteris
quae apud
Quintilia-
num Probo
auctore
relata sunt

1) Comm. Einsidl. in Donat. artem GL Suppl. 226, 24 K: 'Geminant] i duplicant ut aiiio. Sed quia hiatus intolerabilis erat inter tot uocales, expulsum est unum i a perspicacioribus altero remanente pro duabus consonantibus'.

CAPVT TERTIVM: DE TERENCE SCAVRO

GL VII 19, 14 K.

Legitur apud Terentium Scaurum (GL VII 19, 14 K): '(peccant) item qui reprehensus cum aspiratione scribunt, cum eam prima positio non habeat, et similiter uehemens, cum a ui mentis dicatur. quam quidam putant adiciendam † quoniam hii (*sic Palatinus, i. Bernensis*) non aliud putant esse quam alterius ferri cum hoc uerbo sine dubitatione aspiretur.'

Quo in enuntiato desideratur «hoc uerbum» cui sine dubitatione aspiretur; quod latere necesse est sub figura 'hii', atque tale sit oportet ut posito eo confirmetur 'uehemens' scribendum esse addita aspiratione: ergo 'uehi' scribendum uidetur. Restat ut sanetur illud 'quam alterius ferri'; quae uerba ita restituenda sunt, ut iis significatus uerbi 'uehi' declaratur. Itaque facile inseras 'ui'. Iam optime procedit sensus: 'quam (aspirationem) quidam putant adiciendam (in uocabulo quod est uehemens), quoniam (ue)hi non aliud putant esse quam (ui) alterius ferri, cum hoc uerbo sine dubitatione aspiretur'. Apparet grammaticum illum scriptionem 'uehemens' defendisse reperta origine uocis tamquam si composita esset ex uerbo 'uehi' et 'mens'. Qui uero fuerit ille grammaticus qui ita uerbum 'uehi' definiuerit quasi 'ui alterius ferri', docet Gellius II 6 5: 'uexasse graue uerbum est factumque ab eo uidetur quod est 'uehere', in quo inest uis iam quaedam alieni arbitrii; non enim sui potens est qui uehitur'; quae uerba Probi esse colligitur ex Seruio ad buc. VI 76: 'VEXASSE RATES . . quod Probus uult hac ratione defendere dicens "uexasse" uenire ab eo quod est "ueho uecto uexo", ut "uexasse" sit portasse et sine dubio pro arbitrio suo euertisse. "uexasse" est enim uis quaedam alieni arbitrii, non enim sui potens est qui uehitur.' Plane eadem ratione Probus nunc 'uehementem' dixit eum, cuius mens uehatur, qui pro arbitrio suo mentis suae non potens rem agat. Atque eadem ratio ac uoluntas quam supra in Berytio fuisse cognouimus, etiam nunc conspicua est. Nam intelleximus Probum non modo Ciceronem secutum censuisse scripturam pronuntiationi et auditui accommodandam esse, sed insuper talem scripturam certa ratione comprobauisse, declarata uidelicet uocis origine ('coniicit'): sicuti nunc eum uersatum esse intellegimus in praecienda scriptione 'uehemens'. Quod uocabulum additane an dempta aspiratione scribendum

esset, summopere dissentiebant grammatici neque fere quisquam magistrorum de orthographia praecepit, quin de hoc uocabulo pronuntiaret sententiam (cf. Hyginus Funaioli, *Atene e Roma* XI [1908] 385). Nam qui 'consuetudinem' id est pronuntiationis communem usum sequebantur, h litteram addere solebant, quorum in numero Ciceronem quoque fuisse constat (Cornut. ap. Cassiod. GL VII 153, 7 K), cum ratio litteram h inseri uetaret (Cornut. l. s. 153, 9 K). Quo in discrimine Probus exstitit et 'uehemens' scribendum esse docuit addita littera h eam ob rem quod compositum esset uocabulum a uerbo 'uehi', cui sine dubio adspiraretur. Valerius igitur Probus, ingenuam Latinae gentis consuetudinem Ciceronis auctoritate confirmatam ita defendit, ut ei rationem subiceret originationem uocis declarans. Quod cum faceret, opprobrium redarguebat 'opinionis', quo uiri formulae atque rationi adstricti sententiam aduersariorum notare solebant quasi despicientes (Suet. Aug. 88).

EPIMETRVM: QUID PRIMI SAECVLI GRAMMATICI LATINI PRAECEPERINT DE SCRIPTVRIS 'VO' ET 'VV'.

Quam late grammaticorum ratio praeceptaque patuerint in perscribendis litteris VO et VV qui demonstraturus est, explorata habeat oportet et pronuntiandi tum temporis consuetudinem, et communem publicumque scribendi usum. Qua in re Guilelmus Brambach (*Neugestaltung d. Orthogr.* 1868) duo minus recte proposuerat, prius cum figuram VO in uulgari sermone nunquam in VV transiisse doceret (l. s. p. 88), deinde cum Cornutum, qui quid senserit maximi est momenti in hac quaestione, ubique VV scripsisse adfirmaret eo argumento fretus, quod post Monumenti Ancyrani tempora fuisset ille grammaticus. Quos errores conrexit Felix Solmsen, cum omnino VO in VV transiisse confirmaret (l. s. p. 39 sqq.) ostenderetque Cornutum VV scripsisse ut bisyllabum significaretur, VO monosyllabum (ib. p. 43). Atqui intellegi potest hanc Cornuti rationem non fuisse propriam quandam huius grammatici uoluntatem subtilitatemque, sed eam positam esse in communi quadam illius temporis grammaticae disciplinae doctrina de omni ui ac natura litterarum uocalium. De illa igitur scriptione VO et VV iam breuiter ita agamus¹⁾, ut et Felicis Solmsen

1) Nam Max Niedermann (*Minutiae Latinae* 1908 p. 58 sqq. 'Deux conséquences de l'insuffisance de l'alphabet latin') argumentum repetiuit quod antea protulerat (*Historische Lautlehre des Lateinischen* ed. Max Niedermann et

sententiam nouis argumentis augeamus et illam quam agnouisse nobis uidebatur doctrinam primi p. Chr. saeculi grammaticorum declarem quid effecerit et quomodo sublata sit.

VO in VV
abiisse etiam
in uulgari
sermone

Atque quod Brambach sibi persuaserat VO litteras in uulgari sermone nunquam in VV transiisse, quoniam illa figura VO adhuc seruata esset in Romanicis linguis, eum deceptum esse apparet; nam compertum est uulgaris sermonis pronuntiationes maturius inuerti, ita ut uulgaris consuetudo dudum in VV abiisse putanda sit eo tempore quo litteratorum hominum pronuntiationem mutatam esse monumentum Ancyranum testimonio est. Accedit quod ii qui Sardiniam incolunt meridionalemque Italiam usque ad nostrum aeuum u litteram pronuntiant talibus in uocabulis (Meyer-Lübke, Grundriss d. rom. Philol. I² [1904—1906] p. 469), ueluti dicunt 'cerbu corbu salu calvu' (Isanu, Vocabulariu sardu-

Ed. Hermann, Heidelberg 1907 p. 38 [cf. ib. p. 27]), haesitauisse uidelicet grammaticos, quamuis pronuntiatione dudum mutata, in perscribenda utraque littera VV ea de causa, quod eadem litterae specie bis posita (VV) non satis dilucide significaretur diuersa quae in iis inesset uis consonans et uocalis (qua difficultate nostrae aetatis grammatici, inuenta noua illa littera v, non tenerentur) ideoque ad euitandam ambiguitatem a grammaticis ueterem scriptionem VO continuatam esse. Quam sententiam comprobare sibi uisus est uir doctus testimonio Velii Longi GL VII 58, 4 K, ubi uero de illa haesitatione ambiguitateque in discernenda V littera consonanti et uocali nihil legitur, immo aperte intellegitur eos grammaticos, qui scriptioni VV offecissent, omnino non cogitauisse de altero u consonanti, sed utramque V litteram accepisse tamquam uocalem (cf. p. 112 et adn.). Haec enim leguntur: 'a plerisque superiorum primitiuus et adoptiuus et nominatiuus per u et o scripta sunt, scilicet quia sciebant uocales inter se ita confundi non posse, ut unam syllabam non faciant'; quod enuntiatum inlustratur uerbis Quintiliani I 7, 26: 'nostri professores seruum ceruumque u et o litteris scripserunt, quia subiecta sibi uocalis in unum sonum coalescere et confundi nequiret'. Verba igitur Velii Longi ita interpretanda sunt: 'superiores grammatici duplicem litteram VV scribi noluerunt, quia censebant uocales adeo confundi nequire, ut numquam, geminatae, unam syllabam efficiant, quae tamen his in uocabulis sine dubio postuletur.' Atque Velii Longi uerbis ita enarratis apparet perperam Henricum Keil Guilelmum Brambach (l. s. p. 97 adn.) secutum illud 'non' quod libri tradunt, seclusisse. Ad eum igitur finem tota haec disputatio de scriptione VO instituetur, ut demonstretur doctrinam quandam quae propter solam deficientem litteraturam ueterem scriptionem VO praecepisset haesitationemque qua bis eandem litterae figuram ponere ueriti essent grammatici, Romae omnino non exstitisse (cf. praeterea Solmsen l. s. p. 48 sqq. 52 sqq.), immo grammaticos, cum pristinam illam scripturam retinerent, profectos esse a sola ratione illa posita in omni uocalium natura, qua putarent litteram uocalem sibi ipsam praepositam utique in potestate uocali permanere, litteram uero uocalem geminari non posse quin syllabam auget.

non quia id non sit Latinum, sed quia sit odiosum et, ut ipse Graeco uerbo significauit, *περίεργον*' (cf. I 6, 21). Itaque ab istis exemplis diuersa uidetur esse condicio uocabulorum in -uus desinentium de quibus quaeritur; in quibus adeo non accentus syllabam elidebat, ut eam elidi uetaret. Nam quomodo Latini homines pronuntiabant *exīgus ingēnus occīdus aedītus conspīcus*? Num *éxigus aéditus pérpetus íngenus* pronuntiauerunt? Hoc difficile concesseris.

Réliquus (rélicuus: Varro de r. r. 3, 16, 10) sane dixerunt Latini praeter formam *rēlicūūs* (Schneider, *Elementarlehre* I, Berlin 1819 p. 332; Lachmann ad *Lucret.* V 679 p. 305); sed nominum in -uus-quus-cus propriam quandam esse condicionem apparet. Ex quibus *rēliqu-us dēliqu-us obliqu-us* antiquitus trium erant syllabarum (de 'longinquus propinquus' cf. *Frid. Stolz, Histor. Gram. d. lat. Spr.* 1894 p. 135; 515), cum *perspic-uus innoc-uus conspic-uus promise-uus* ex quattuor syllabis constarent, sicuti *uac-uus noc-uus pasc-uus uid-uus* ex tribus. Nam figuratae sunt hae uoces particula -uo suffixa (Karl Brugmann, *Grundriss d. vergl. Gramm.* II: *Lehre von d. Wortformen* [1906] p. 203). Principalis haec figura quattuor syllabarum in tres syllabas facile reducebatur ea ratione, ut c cum sequenti u confusa, syllaba demeretur. Quae constans fuit Latinae gentis consuetudo, ut fere in pronuntiatione u litteram praecedenti c defigeret ita ut qu existeret et in pronuntiatione et in scriptione (Schneider l. s. p. 335). Quae uoluntas quam late patuerit, ex grammaticorum praeceptis cognoscitur qui differentias tales uelut 'aquam et acuam' saepius declarant, sicuti Velius Longus GL VII 75, 10 K et *Append. Probi* GL IV 197, 23 K: 'uacua non uagua, uacui non uaqui' (cf. *adn. Guil. Heraei, Archiv f. lat. Lex.* XI p. 304) et imprimis Cornuti praeceptum (apud *Cassiod.* GL VII 150, 8 sq. K): 'acuunt, ergo hic quoque c littera, non q apponenda est.'

Neque tamen omnia uocabula in -uus desinentia in breuiorem hanc formam reduci potuerant. Quamquam eius uocabuli quod est 'promiscuus' facile elidebatur syllaba u saluo accentu; nam ex dactyli figura in quam desinebat uox, abiit in trochaeum quem aequae concedebat lex Latinae pronuntiationis. Nimirum Varro in *sat. Menipp.* 71 'promisque' posuit et *Plautus* 'promiscam' dixisse uidetur (*Pseud.* 1062. *Rud.* 1182) et *Gellius* 'promisce' (praef. 2; cf. praeterea *Georges, Lex. d. latein. Wortformen* s. v.); nam cum ita dicerent Latini, figuras 'promiscuam' uel 'promiscue' eadem ratione in breuius reducebant, sicuti 'quattuor' in 'quattor'

(de 'quattuor' bisyllabo cf. Ritschl opusc. III 638; 650; Lachmann ad Lucret. III 917 p. 193). Accedit quod -iscum tamquam terminationis figuram suadebant ceterae eius generis uoces, ueluti priscus lentiscus fiscus mariscus graecanicarum denique uocum non mediocre agmen. Praeterea 'oblíquus' facile abiit saluo accentu in 'oblícus' (Georges, Lex. d. l. Wortform. s. v.); 'déliquus' quoque saluo accentu reducebatur in 'délícus', quam formam praeterea commendabat altera illa uox 'delícus' ¹⁾ similis figurae similisque significatus, sed composita a lacte (cf. Walde, Etymol. Wörterb. p. 171). Talia enim nomina confundere solet consuetudo; cf. CGL II 41, 42 'delactatum απογαλακτισθεν'; 42, 9 'Delicum (emend. Goetz, delitum cod.) απογαλακτισθεν'; IV 329, 27 'depulsus delictus'; V 449, 59 'depellere apogalactizin idest delactare'.

Sed prospícuus conspícuus innócuus saluo accentu omnino non paenultimam amittere poterant et difficile probauerit quispiam innócuus transiisse in ínnoquus (innocus) neque pérspícuum cónspícuum ²⁾ hominem Latinum dixisse ullum persuadebit sibi quisquam. Quae si recte disputata sunt, non errabit qui contenderit uocabulorum in '-uus' terminantium u syllabam paenultimam non intercidisse in litteratorum hominum usu nisi in iis quae in '-cuus' desinentia saluo accentu syllabam amittere poterant.

Vulgaris porro sermonis condicionem qui cognoscere studet, apte ad Romanicas se referet linguas. Atque qui Latini sermonis copias excusserit adiutus opera Ottonis Gradenwitz (Laterculi uocum Latinarum, Leipzig 1904) quaenam uoces suffixo 'uus' figuratae in Romanicas linguas transierint, perpauca inueniet uel nullas. Nam quae figura occurrit in Prouinciae sermone 'vef', uel 'vedovo' in italico, non recta uia ex 'uiduus' pendet, sed postea masculini generis figura ficta est ex feminina forma (cf. Gustav Körting, Lat.-rom. Wörterbuch ³ 1907 s. v.). Porro intellegitur non formam 'perpetuum' continuatam esse in linguis Romanicis, sed 'perpetualem' (nam italicum illud 'perpetuo' posterorum eruditio ex Latino sermone addidit sicut 'ingenuo' similia); neque 'fade' (franc.) referendum est ad 'fatuum', sed 'fatidum' (W. Meyer-Lübke, Zeitschr. f. rom. Philol. XIX [1895] 277) neque 'noctua' dicebant Itali rustici, sed substituto suffixo 'nottola', non 'pascuum' sed 'pascolo' (Meyer-Lübke l. s.) neque 'innocuum' dicebant Sardi,

1) Varro de r. r. II 4, 16 'cum porci depulsi sunt a mamma, a quibusdam delici appellantur'; cf. Cato de r. r. 2, 7 'oues deliculas'.

2) De 'próspica déspica' apud Naeuium (com. Rom. fr. ³ Ribb. p. 11) cfr. Lachmann ad Lucret. V 679 p. 307; II 1116 p. 139.

sed 'innokidu' (Ispanu l. s. s. v.) et praeter 'aedituum' quo utebantur urbani, in consuetudine fuisse 'aeditumum' tradit Charisius GL I 75, 18 K (cf. Varro r. r. I 2, 1). Vulgaris igitur sermonis homines nominibus suffixo '-uus' ornatis plerumque abstinebant (Diez, Gram. d. rom. Spr. II⁴ 1876 p. 305) aut ea aliis suffixis exornabant. Ubi vero istius generis uocabulis utebantur, duplicem u litterae sonum seruabant, si quidem recte A. Thomas (Romania XXV [1896] 392) 'gelbe' uel 'gieu'e' (prov.) 'qui ne veut pas se laisser toucher' retulit ad 'zeliuus'. Idem uir doctus feminini generis figuras attulit ex Prouincia sermone 'perdoa' (lat. *perdua) rendoa (*rendua) segoa (*sequua) vendoa (*uendua), uocabula uidelicet formata a suffixo -uus -ua, seruato priore u. Denique omnino non Latinae gentis consuetudo eo tendebat, ut u litteram elideret, immo plerumque u uocalibus praepositum pingui quodam modo efferebat, id quod scriptiones quoque ostendunt titulorum uelut CONFLOVONT (CIL V 7749, 23) INSTITVVIT (CIL VIII 9975, 9984) POSVVERVNT (CIL III 8719) similia. Neque quis hanc argumentationem turbauerit adlatis exemplis ex uulgari sermone uelut 'butro' illud factum ex bötrüüs (App. Probi GL IV 198, 22 K) uel 'mortus' quae forma et in titulis legitur (ueluti CIL VIII 4692; cf. Schuchardt II 465) et in linguis neolatinis continuata est (morte, morta). Nam utrobique u abesse uidetur non ex proprietate litterae u, sed alia ex lege. Nimirum trisyllaba figura bötrüüs neque principalis erat neque sola apud Latinos; nam 'botrus' quoque dicebant disyllabum, sicuti disyllabum erat *πρωτότυπον* Graecum *βότρως*. Atque 'butro' dicebat rusticanus producta priore syllaba, sicuti producebat tenēbras. 'Mortüs' denique dicebat uulgaris homo ex eodem accentus effectū, ex quo dicebat 'ualde' 'quattor'; praeterea figura 'mortus' aperte accommodata erat contrario eius quod est 'ortus', eodem modo quo 'rendere (ex reddere) et prendere' similia figurata sunt ex mutua relatione.

Quae si recte disputata sunt, apparet homines Latinos VV non in unum sonum reduxisse nisi lege accentus¹⁾. Cur autem, si duplicem²⁾ utique pronuntiabant sonum, simplicem scribebant litteram? Qua in re conspicua est ea ratio quam

1) atque hac lege, non ex proprietate litterae V declarantur exempla quae conguessit Hugo Schuchardt II p. 464 sqq.

2) siue *qu* siue *uu*; nam 'ingénuus' fracta priore littera uocali u et syllaba paenultima positione producta dicere poterant Latini; cf. [Prob.] de ult. syll. GL IV 257, 18—31 K; Pomp. GL V 119, 31 sqq. K.

Varro commendauerat, cum pronuntiaret GL VII 154, 2 K (fr. 280a Funaioli): 'lector enim ipse intellegere debet Rodum, tamesti h non habet, Rhodum esse, retorem rhetorem'. Nisus denique, ipsorum fere Augusti temporum grammaticus (GL VII 155, 17; cf. 55, 3; 26) negabat onerandam esse pluribus litteris scriptionem ideoque Troiam, quamvis sine dubio duplex esset litterae i sonus, tamen per unum i scribendum esse praecepit 'ut expedita esset condicio scribendi.' Eodem modo 'ingénuus' 'innócuus' pronuntiabant et 'ingenus' 'innocus' scribebant (cf. C. L. Schneider, *Elementarlehre* I p. 120 et Goeschen-Lachmann, *Gaii instit.* ³ Berol. 1842 praf. p. XXXIV: '. . . ad compendiorum usum pertinere uidetur, quo et illud refero quod saepenumero unum tantum u duplicis loco librarius posuit'.

Quamvis igitur in totius Latinae gentis pronuntiatione uo transiisset in uu, praeter uu et u scriptionem uo seruata est usque ad Domitiani tempora, cuius consuetudinis exempla proposuit ex titulis urbis Romae Guilelmus Konjetzny (*Arch. f. lat. Lex.* XV [1907] p. 323). Qua in scriptura agnoscas illam de qua Felix Solmsen egit (l. s. p. 39) constantiam in publica scriptura sollemni, qua ueteres seruari solent figurae quamvis mutata pronuntiatione. Accedit quod haec scriptio uo usque ad Neronis tempora commendabatur a grammaticis (uide infra). DIVOS in titulo Antonini Pii (CIL XIV 98) scriptum est ex imitatione ueterum, OCTAVOM (CIL XII 3148; 3149) legitur in titulo imperatoris Augusti postea restituto.

Exposita hominum Latinorum cum pronuntiandi tum scribendi consuetudine de grammaticorum disciplina agendum erit quid hac in re praeceperint. Atque primum quod traditum est testimonium est illud Cornuti (GL VII 150, 5 K): 'Alia sunt quae per duo u scribuntur, quibus numerus quoque syllabarum crescit. similis enim uocalis uocali adiuncta non solum non cohaeret, sed etiam syllabam auget, ut uacuu ingenuu occiduus exiguu. eadem diuisio uocalium in uerbis quoque est, metuunt statuunt tribuunt acuunt; ergo hic quoque c littera, non q apponenda erit.' Quae Cornuti sententia supplenda est ex excerpto Papiriani GL VII 161, 4 K: 'uulgus uultum paruun toruum sunt qui putant per duo u scribi non debere, quod similis uocalis uocali adiuncta non solum non cohaereat, sed etiam syllabam augeat, ut est uacuu ingenuu occiduus exiguu perspicuu et in uerbis metuunt tribuunt statuunt.' Subiungendum est quod Terentius Scaurus docuit

Quae fuerit
publica
scribendi
consuetudo

Qua ratione
grammatici
scripturam
VO com-
mendauerint

GL VII 12, 11 K: '(recorrigitur orthographia) proportione, ut cum dicimus equum et seruum et similia debere scribi, quia antiqui per uo scripserint, quoniam scierunt uocalem non posse geminari credebantque et hanc litteram geminatam utroque loco in sua potestate perseuerare.' Quam sententiam Cornuti Quintilianus quoque retulit (I 7, 26): 'nostri praeceptores (de Cornuto praeceptore Quintiliani cf. p. 85) 'seruum ceruumque' u et o litteris scripserunt, quia subiecta sibi uocalis in unum sonum coalescere et confundi nequiret.' Ex quo intellegitur Tiberii et Caligulae temporibus Cornutum et Palaemonem 'qui tum principem locum inter grammaticos tenebat' ueterem scribendi usum VO praecepisse quamuis mutata iam omnino pronuntiatione, atque id fecisse ductos certa quadam et communi quae tum inter grammaticos uigebat opinione (cf. Vel. Long. GL VII 58, 8 K: 'praesumpta ratione'; Papirian. ib. 161, 7). Putabant enim in uocabulis 'uulguis uultum paruum' similibus utramque litteram u esse uocalem¹). At prisca iam grammatica nonne u litteram interdum consonantem esse docuerat? Nonne Cornutus ipse de uocibus Fotum Firgo disserens GL VII 148, 10 K perhibuerat: 'hanc litteram Terentius Varro (fr. 270 Funaioli) dum uult demonstrare, ita perscribit: VAV. qui ergo in hac syllaba sonus est, idem litterae erit.' Nonne similem sententiam Cicero professus erat, de quo Marius Victorinus GL VI 18, 15 K: 'consonantes sunt cognatae quae simili figuratione oris dicuntur ut est b f m p. quibus Cicero adicit u, non eam quae accipitur pro uocali, sed eam quae consonantis obtinet uicem et anteposita uocali fit ut aliae quoque consonantes?' Tum Nigidius imprimis Figulus (fr. 16 Funaioli): 'si quis putat praeire u in his uerbis . . . ne uocales quidem sunt.' Sed aperte Cornutus ipse sui temporis rationem aperuit (GL VII 148, 12 K) cum diceret: 'nos hodie u litteram in duarum litterarum potestatem coegimus: nam modo pro digamma scribitur, modo pro uocali. uocalis est cum ipsa per se est: hoc enim cum ceteris quoque uocalibus patitur. Si cum alia uocali est, digamma est, quae est consonans.' Sane igitur uis consonans litterae u uiros illos non fugerat, sed Augusteae Tiberianaeque aetatis grammaticae propria quaedam argumentatio cognoscitur haec: „littera uocalis u alii uocali praeposita abit in potestatem consonantis neque

1) cf. Velius Longus l. s. eos redarguens: 'ante enim respicere debebant an haec duae uocales essent'.

syllabam auget. Itaque recte scripserunt antiqui 'uolgus', quia bisyllabum est. Littera autem uocalis u sibi ipsa praeposita uocalis manet et syllabam auget, quia duae litterae uocales similes in se coire non possunt. Itaque scribi non potest 'uulgus', quia trisyllabum fieret." Quamquam igitur non leuis molestia erat in discernendis casibus neque omnino iam communis pronuntiatio ueterem scriptionem VO sequebatur (Vel. Long. l. s. 58, 8: 'apparet eos hoc genus nominum aliter scripsisse, aliter enuntiasse'), tamen grammatici hanc retinebant «praesumpta ratione», quod duae similes litterae uocales non in syllabam coalescere possent. Qua in calamitate Claudius imperator auxilium ferre sibi uidebatur, cum et pronuntiationem sequi studeret et ambiguitatem casuum tolleret nec rationis leges laederet. Etenim proposuit scribendam quidem esse secunda sede uocalem u, quam communis sine dubio efferret pronuntiatio; ne autem duae litterae uocales concurrerent quibus syllaba augetur, non alteram u litteram u uocali praefigebat, sed nouum intulit signum J : (Don. Ter. Andr. I 2, 2 [= III 4, 1]): 'Dauus, ut recte scribatur, Dauos scribendum est, quia nulla littera uocalis geminata unam syllabam facit. sed quia ambiguitas uitanda est nominatiui singularis et accusatiui pluralis, necessario pro hac regula digamma utimur et scribimus Da J us, ser J us (J ulgus III 4, 1) cor J us.' Praeterea Claudii praeceptum proprie eo consilio factum esse ut tolleretur difficultas uocalis sibi ipsius subiectae quae duae in unam syllabam coniungi non possent, intellegitur ex uerbis Quintiliani, ubi de repudiata Claudii litteratura disseruit XII 10, 30: 'quae ad coniungendas demum subiectas sibi uocales est utilis, alias superuacua.' Idem demonstrat Gellius XIV 5, 2: '... sed ea (syllaba) quae per duo u scribenda est, propter cuius syllabae sonum declarandum reperta erat noua littera quae digamma appellabatur.' Sed post Claudii imperatoris mortem recesserunt homines Latini ab usu digammi, cui certe obstiterant ii qui secundum Nisum onerandam esse scripturam superuacuis litteris negabant; tum recte quoque Quintilianus obseruauit XII 10, 30: 'cum etiam ipsae hae uocales duae efficiant sonum qualis apud Graecos nullus est, ideoque scribi illorum litteris non potest'. Unum uero effecerat Claudius: nam digammi littera remota et u restituta, o quoque litteram secunda sede (VO), quam omnino pronuntiatio repudiauerat, restituere nemo iam conatus est grammaticus. Nam aliud est ueterem scripturam retinere, aliud eam redintegrare. Quapropter tum denique, rei ipsius euentu conuictus, is grammaticus quem

De Claudii
imperatoris
digamma

Quomodo
grammatici
sibi per-
suaserint
VV scribi
posse salua
ratione

Diomedes GL I 422, 21 K et Donatus GL IV 367, 18 K secuti sunt, praecepit: 'huic (u litterae) digammon adscribi solet cum sibi ipsa praepositur, ut seruus uulgu'. Cuius praecepti ipsa uerba manifesto sunt argumento, post digammi Claudiani demum abolitionem, in cuius uicem ac nomen successerat littera u, recessisse grammaticos ab illa opinione qua scriptioni 'uulgu' refragati erant. Nam postquam AV , abolita A et seruata V , transiit in VV , persuaderent sibi necesse erat, u consonantem esse quamuis sibi ipsam praepositam, et uu scribi posse¹⁾ neque ob hanc scriptionem syllabam necessario augeri, denique deceptos se esse, cum rationem attulissent qua contenderent litteram uocalem geminatam coire non posse, litterae speciem et litterae sonum non discernentes. Atque haec est quam Velius Longus postea appellabat 'praesumptam rationem' (GL VII 58, 8; cf. 161, 8 K): inde quoque nascebantur disquisitiones quales illa Velii Longi (l. s.) 'de ui litterarum et de specie ac figura litterarum.' Atque scriptio VV , fracta iam repugnantia grammaticorum, in usum communem recepta est (Quintil. [I 4, 10]: 'quomodo nunc scribitur uulgu et seruus'²⁾). Quibus uero argumentis postea grammatica disciplina hanc quam tarde receperat scriptionem, confirmauerit et commendauerit, legitur apud Vel. Long. GL VII 58, 8 K; Terent. Scaur. GL VII 12, 14 K; Papirian. GL VII 161, 8 K et praecipue apud Charis. GL I 75, 4 K: 'Seruus ceruus uulgu a quibusdam per u et o, uidelicet quia duae uocales geminari ut unam syllabam faciant, non possunt. sed per duo u scribi debent, quia et sic sonant et ambiguitas casuum tollitur et unum u loco consonantis accipitur.' cf. Marius Victorinus GL VI 14, 23 sq. K.

1) Iam uides illud Diomedis et Donati praeceptum non esse 'contortam quandam doctrinam quae uix intellegi possit' (J. V. V. Claussen, Quaest. Quintil. Fleck. Jahrb. Suppl. VI 1872 p. 364; cf. Bald. Heinicke, De Quintiliani Sexti Asclep. arte grammatica, diss. Strassb. 1904 p. 19 adn.) sed testimonium esse controuersiae grammaticorum Latinorum denique absolutae. Nam quod appellatione digammi continuat uti ad designandam consonantem u iterum restitutam, ostendit post Graecam consonantem abolitam grammaticos conuictos esse Latinam quoque litteram u uocali u praepositam eadem uice fungi qua Graecam digammon, consonantem uidelicet esse. Idem testatur Scauri argumentatio qua priores confutat GL VII 12, 14 K: 'ignorantes eam praepositam uocali consonantis uice fungi et poni pro ea littera quae sit f.'

2) De usu Frontonis Cornutianae rationis aemuli ceterisque huius scriptionis uestigiis uide Felix Solmsen l. s. p. 43 sqq.

CAPVT QVARTVM: DE PROBO GELLII AVCTORE.

Inter eos qui Probi doctrinam retulerunt addito auctoris nomine, Gellius est testis singulari loco habendus ideo quod in eo non est dubium, utrum de M. Valerio Probo agatur an de iuniore illo Probo cuius memoria primum occurrit in Seruii commento in Donatum GL IV 413, 34 K: 'quas regulas Probus artifex tuetur'. Quae uero Gellius secundum Berytium tradit, haec se comperisse confirmat ex Fauorino uel eius sectatore (III 1), ex Anniano poeta (VI 7), ex discipulis uel familiaribus Probi (I 15; IX 9; XIII 21), ex grammatico quodam nebulone (XV 30), cum ipsum Probum uel scripta eius afferat IV 7; VI 9; XV 30. De ratione qua Gellius auctoribus suis usus sit egit Ludouicus Mercklin in ann. Fleckeis. suppl. III (1857—1860) p. 633—710. Eandem rem tetigit J. Kretzschmer in dissertatione de auctoribus A. Gellii grammaticis a. 1860 edita. Postea leges ab his uiris confirmatas in unum conspectum contulit Lotharus Ruske in praefatione dissertationis de A. Gellii noctium Atticarum fontibus, Glaciae 1883. Atque exploratum esse uidetur illum quem inducere soleat Gellius grammaticum nebulonem ubique ficticiu[m] esse et in uniuersum constare 1) in singulis capitibus Gellio eorum quos fecit disserentes scripta ubique praesto fuisse, 2) singula capita ad unum auctorem reuocanda esse, 3) iis potissimum auctoribus Gellium usum esse in quorum lectione assiduam se fuisse profiteatur, illos uero ex hoc numero eximendos esse quos aut obscure aut nunquam laudauerit. His quae praemonuisse placebat propositis, de singulis capitibus Gellianis si quid in iis recte agnoscat[ur] doctrinae Probianae agendum erit.

GELLIVS I 15.

De Valerio Probo Sallustii interprete et uerborum eius emendatore supra diximus (p. 57 sqq.). Quod uero tamquam laudi tribuerit scriptori nouam uocem «loquentiam» feliciter fictam, in hoc aliter sentiebat atque Celsus, cuius sententiam ipse quoque Quintilianus reprehendit inst. or. VIII 3, 35: 'audendum itaque; neque enim accedo Celso qui ab oratore uerba fingi uetat' (fr. 13 Iustinus Woehrer, De A. Cornelii Celsi rhetorica, diss. phil. Vindob. 1903 p. 88).

GELLIVS III 1.

Secundum ea quae supra monuimus, disputatio quae hic tributa est 'cuiusdam de sectatoribus Fauorini qui uidebatur esse in litteris ueterator' sumpta est ex ipso commentario Valerii Probi quem Gellius consuluit una cum Fauorino: qui, cum res displiceret, dubitare se dicit num re uera essent ex sententia Probi quae proferrentur, re autem perfecta assensionem non pepercit. Cuius rei simile schema inuenitur apud Gellium I 21, 4: 'Sed enim cum Fauorino Hygini commentarium legissem atque ei statim displicita esset insolentia et insuauitas illius 'sensu torquebit amaro' risit et "Iouem lapidem" inquit "quod sanctissimum ius-iurandum habitum est, paratus ego iurare sum Vergilium hoc numquam scripsisse" sqq.

De ratione Probi haec intelleguntur: Sallustianam quandam locutionem, quae non sine specie ueritatis uituperata erat, grammaticus ita defendit, ut apta interpretatione uerba historici explicaret et custodiret, hac potissimum ratione uelut fundamento nisus ut doceret sibi quidem constans esse genus scribendi, tamen data occasione et quo melius sententia exprimeretur, concedendum esse scriptori ut modum transgrederetur. Atque eodem modo quo supra (Gell. I 15, 18) in Sallustio *ἀντιθέσιν*, hic *περίφρασιν* intellegi uoluit.

GELLIVS IV 7.

Probus quaestionem tetigit in qua multum uersati erant grammatici Latini, cum dubitaretur quam declinationem sequi deberent nomina peregrina. Quaestionem adiit duce Varrone qui ita hac de re disputauerat in libro X de lingua Latina (70): '† De genere multi utuntur non modo poetae sed etiam plerique haec primo omnes qui soluta oratione loquuntur dicebant ut Quaestorem Praetorem sic Hectōrem Nestōrem; itaque Ennius ait: Hectoris natum de Troiano muro iactari. Accius haec in tragoediis largius a prisca consuetudine mouere coepit et ad formas Graecas uerborum magis reuocare [et] a quo Valerius ait: Accius Hectorem nollet facere, Hectora mallet. Quod aduenticia pleraque habemus Graeca, secutum ut de nothis Graecanicis quoque nominatus plurimos haberemus.'

Si legem respicias quae iubet Hannibālem pronuntiari, Probus hac in re omnino a parte analogiae esse uidetur, ita ut Probus artigraphus plane Probi Berytii doctrinam referre uideatur GL IV 127, 3 K: 'Quaeritur qua de causa Hannibalis a littera,

quam habet ante ultimam syllabam, producto accentu pronuntietur. hac de causa, quoniam quaecumque nomina generis masculini nominatio casu numeri singularis 'al' litteris definiuntur, haec eandem a litteram quam habent ante l ultimum constitutam, secundum rationem sonorum necesse est ut per omnes casus producant.' Tamen quantum Berytius distet ab iis qui similitudinem quasi supremam sermonis legem pronuntiabant, cognoscas si argumentum respicias quo nitatur in hac quaestione. Nam illi qui proportionis leges custodiebant, quorum rationem Varro retulit, Nestōrem dici debere statuebant quia diceretur quaestōrem, cui figurae nomen Graecum consimile uideretur; sic recta pronuntiatione ratione ac uia demonstrata Ennii uersus tamquam exemplum subicitur. Probus uero, similitudini declinationis nihil auctoritatis concedens, in ipsam inquirebat nominis pronuntiationem, cuius normam iudicabat esse pronuntiationem ueterum. Quam ubi, perpenso numero ac metro, inuenit esse Hannibálem paenultima circumflexa, statuit et hanc ueram declinationem nominis et hanc ueram syllabae mensuram esse. Quam Probi rationem, quae illi grammatico sane peculiaris est, prolatam legimus in tractatu [Probi] de ultimis syllabis GL IV 222, 28 K: 'natura syllabarum breuium atque longarum in nominibus ceterisque orationis partibus per ordinem nulla potest ratione artis comprehendí, sed sola auctoritate inuestigari potest'; cf. Pomp. GL V 106, 25—107, 25 K.

Cognouimus ergo Probum in uniuersa grammatica leges uerborum non deduxisse a regulis aut a proportione, sed a uetere spectatorum scriptorum usu; et in ea parte quae est de mensura syllabarum, eum deduxisse leges non ex ratione nominis ipsius uel similibus, sed ex auctoritate poetae qui illud nomen in metrum comprehendisset. Quae cum ita sint, statuere licet eum tribus rebus quasi fundamentis usum esse: 1) eum existimauisse ueteres poetas in pangendis numeris secutos esse uigentem pronuntiandi modum, quippe qui grammaticae regulas non nossent, 2) usum pronuntiandi solam esse normam mensurae syllabarum (cf. ad Gell. IV 17), 3) accentum qui in numeris esset ueram et communem pronuntiandi rationem ostendere; cuius sententiae Probianae alia leguntur exempla apud Gell. VI 7, 3, ubi 'áffatim' recte pronuntiandum esse docetur, quia ita posuerit accentum Plautus in uersu (Cistell. 231) 'aliorum áffatim est'; itemque § 4 'exáduersum' pronuntiandum esse, quia ita accentum posuerit Terentius (Phorm. 88) 'exáduersum loco'.

In illa igitur quaestione de declinatione nominum peregrinorum in sermone Latino Probum cum his sensisse apparet, qui talia uocabula Latina lege uti debere affirmarent, ubicumque figura nominis ita comparata esset, ut declinationi Latinae accommodari posset. Quae sententia exposita est apud Quintilianum I 5, 59, quem locum ad Berytium retulit Ludouicus Radermacher Rh. M. 60 (1905) 244.

GELLIVS VI 7.

Res aequae comparata est atque in capite IV 7, ubi legebantur haec: 'Valerius Probus . . . pronuntiabat, . . . Enniumque multosque alios ueteres eo modo pronuntiasse affirmat.' Similia hoc loco: 'is (Annianus poeta = Probus) . . . pronuntiabat atque ita ueteres locutos censebat.' Atque haec est omnis argumentationis uia: 'affatim' et 'admodum' recte prima acuta pronuntiantur ideo quod ueteres ita locuti sunt. Veterum autem quae fuerit pronuntiatio demonstrari posse affirmat grammaticus uersibus recte legendis. Hoc pacto re comprobata rationem subicit hanc: 'affatim', si originem respicias, ex duabus partibus orationis constat 'ad' et accusatiuo nominis quod est 'fatim'¹⁾, ita ut pronuntiandum esset 'ad fátim'; cum uero hae duae partes ui pronuntiationis in unam partem coaluerint, una autem pars orationis non nisi uno accentu niti possit²⁾, mutato accentu³⁾ prima noui aduerbii syllaba acuitur: áffatim. Quoniam uero secundum legem Latinam antepaenultima acui non potest nisi correpta paenultima, Probum syllabam 'fa' breuem esse existimauisse necesse est⁴⁾. Argumentatione facta subiungit consimile 'exáduersum' ipsum quoque uersu Terentiano comprobatum. Omnem argumentationem Probi in eo positam esse intellegitur quod censuerit ueteres poetas uerum uerborum accentum et ictum metri consociasse (cf. supra

1) Charis. GL I 93, 26 K 'alia unius tantum casus sunt, ut haud secus, ad fatim, ad incitas, infitias seqq.'

2) Diom. GL I 433, 30 K = Donat. GL IV 371, 22 K: 'in compositis dictionibus unus accentus est non minus quam in una parte orationis, ut malesanus, interealoci.' cf. Serg. de accent. GL IV 483, 35 K; Charis. GL I 201, 3 K.

3) Don. Eun. II 2, 24: INTEREALOCI duae partes orationis cum coniunctae unam fecerint, mutant accentum' cf. Priscian. GL II 440, 5 K; Quintil. I 5, 27 seq.

4) Prisc. GL III 75, 7 K: 'a fatu affatim, uel magis a Graeco ἀφάτως id est abunde, unde et corripitur 'fa'.

ad Gell. IV 7). Disputationis uero Probianae haec cognoscitur ordinatio:

qui sit proprius et uerus sermo proponitur
hic talis esse confirmatur adlata auctoritate ueterum
rei sic comprobatae causae et rationes subiciuntur
analogon quod dicitur additur.

GELLIVS VI 9.

Totum caput eum quem supra exposui disputationis ordinem exhibet: Res de qua agitur proponitur et exemplis ueterum comprobatur (§ 1—12), tum causae et rationes subiunguntur (§ 13—15: 'Ratio autem istarum dictionum haec esse uideri potest seqq.'). postea analogon additur (§ 16—18: 'Praeterea inueni a uerbo 'scindo' simili ratione non 'sciderat' sed 'sciciderat' dictum esse'). Accedit quod ea quae § 13—15 exponuntur de affinitate perfecti Latini cum praeterito Graeco quod *παραικείμενον* uocatum sit, conueniunt cum iis quae addito Probi nomine disputata sunt apud Priscianum GL II 445, 20 sqq. K. De ratione Probi hoc intellegitur eum sermonis Latini condiciones, uelut hic reduplicationem perfecti subiecta uocali e, explicuisse et comprobauisse ex similitudine sermonis Graeci.

GELLIVS IX 9.

Quin totum caput ex Probi commentario adsumptum esse adfirmemus, huic rei non obstat quod posteriori tantum parti nomen Valerii Probi additum legitur; nam compertum est Gellium in singulis capitibus perscribendis unum fere secutum esse auctorem (uide p. 115); praeterea scriptorem non mediocrem partem operis sui ex Probi copiis uel ad uerbum descripsisse omisso nomine auctoris intelleximus cum de capite II 6 disputaremus (p. 128 adn. 2). Atque re uera sic factum esse in hoc quoque capite IX 9 argumentis confirmare licet. Etenim omni disputationi praeposita et aperte definita legitur illa sententia quae Probi esse cognoscitur ex adnotatione ad Eun. I 1, 1^r: 'NON EAM NE NVNC QUIDEM "non eam" Probus distinguit; iungunt qui secundum Menandri exemplum legunt': iudicat uidelicet grammaticus non omnia omnino uerba in eum in quem a Graecis dicta sunt modum uertenda esse. Id quod Horatius iam praeceperat in arte poetica 133: 'nec uerbo uerbum curabis reddere fidus interpret' ¹⁾ neque omnino Probum Horatii

1) Cic. de fin. III 4, 15 'Nec tamen exprimi uerbum e uerbo necesse erit, ut interpretes indiseri solent.'

placita neglexisse intellegitur ex iis quae apud Diomedem GL I 400 sqq. K (= GL V 325, 25 K ex cod. Lauantino 24) seruantur exposita secundum Valerii Probi doctrinam (Henricus Keil GL I praef. p. LIV; Frid. Vollmer, Philol. Suppl. X p. 267). Praeterea cum de Probo Terentii interprete disputarem (p. 34 sq.) intelleximus Donatum, ubi Terentium ita defendit ut 'scite' eum ab exemplo Graeco recessisse contenderet, sententiam auctoritatemque Valerii Probi retulisse. Atque eadem critici uoluntas qua Probum in Terentio usum esse cognouimus, nunc conspicua est in existimando Vergilio (Gell. IX 9, 3): 'Scite ergo et considerate Vergilius, cum aut Homeri aut Hesiodi aut Apollonii aut Parthenii aut Callimachi aut Theocriti aut quorundam aliorum locos effingeret, partim reliquit, alia expressit.' Tali igitur sententia de officio poetae exemplum Graecum in Latinum uertentis praeposita tres loci ex carminibus Vergilii perpendicularunt; atque duobus (ecl. III 64 et IX 23) laudatur poeta quod non ad uerbum Theocritum transtulerit, cum ad Aen. I 498 sq. uituperetur Vergilius quod loco Homeri ad uerbum in usum suum conuerso nec loca nec tempora nec condiciones respexerit, cum habitum et ornamenta Dianae uenatricis tribuisset Didoni reginae (cf. p. 13; 62). Inde a § 12 ('solitum eum dicere') uerba ipsa Probi ex quodam libello uel commentario a Gellio descripta esse putandum est; (cf. § 14 'id uisum esse dicebant Probo' et § 15 'Probum demiratum esse dicebant'). Ea porro quae leguntur inde a § 16: 'Praeter ista omnia florem ipsius totius loci Vergilium uideri omisisse' aperte repetunt illud iudicium § 2 prolatum: 'Perdunt enim gratiam pleraque, si quasi inuita et recusantia uiolentius transferantur': ita ut de Probo totius Gellii capituli auctore iam non dubites. Id quod non leuis momenti est, nam sic edocemur Valerium Probum non mediocriter uersatum fuisse in Graecis litteris quippe qui seriem illam poetarum Graecorum (§ 3) Theocritum maxime et Parthenium (cf. ad Gell. XIII 27) adhibuerit ad interpretandum poetam Latinum. Berytium denique georgicorum fontes Graecos, mythorum uidelicet auctores, quaerentem ostendit Macrobius Sat. V 22, 9. (de Probi litterarum Graecarum studio cf. p. 76 sq.). — Omnino similis Vergilii reprehensio legitur apud Seru. Aen. I 92 = fr. VII.

GELLIUS XIII 21.

Utitur ille qui hoc in capite de dubia declinatione disserit, hac regula: eam esse ueram declinationis figuram quam quoque loco commendauerit suauitas soni, neglecta omnino ipsius nominis

lege ac natura. Eum uero qui talem disputationem per totum caput sustinet Probum esse inde intellegitur, quod disputationis, quam instituisse grammaticus ille a Gellio perhibetur, ratio atque argumentum per totum caput sibi constat. Hoc quoque recte protuleris argumentum quod Probus, ubi discrimen est inter duo quae idem ualent, utrumque solet iubere nexui uerborum inseri quo magis eluceat suauitas soni (§ 4 „urbisne inuisere Caesar, terrarumque uelis curam“. Verte enim et muta, ut „urbes“ dicas: insubidius nescio quid facies et pinguis'). Hoc enim praeceptum quod omni argumentationi subiectum cernitur (§ 4 uid. supra; § 10 'ut si aliter dixeris mutauerisque sqq.'; § 12 'si mutes "haec" et "hic finis" dicas') commendatum legitur in fine capitis § 25 'nam si alterum in alterius loco ponas, utrumque feceris sonitu insuaue', unde cognoscas totam hanc de dubia declinatione disputationem unius esse grammatici i. e. Probi, eumque hac in re secutum esse grammaticos Graecos, commentatores Homeri. Idem de hac uocalitatis ui iudicium legitur apud Quintilianum I 5, 4: 'sola est quae notari possit uelut uocalitas quae *εὐφωνία* dicitur: cuius in eo dilectus est, ut inter duo quae idem significant ac tantundem ualent, quod melius sonet, malis.' Sed quae ib. I 5, 14 leguntur: 'Quid quod quaedam, quae singula procul dubio uitiosa sunt, iuncta sine reprehensione dicuntur', ea proxime accedunt ad Probianam sententiam (Gell. XIII 21, 5): 'tanta quippe iuncturae differentia est in consonantia uocum proximarum.'

Sed fuitne hoc Probi inuentum uel omnino propria quaedam sententia? Nonne Cicero docuerat (orat. 48, 159): 'Voluptati autem aurium morigerari debet oratio' et (ib. 44, 150): '... aures quarum est iudicium superbissimum?' Nonne Plinius, cum de regulis sermonis ageret, Varronis praeceptis 'suauitatem aurium' addiderat? (Charis. 123, 3; I. W. Beck p. 20; cf. Fridericus Goetting, De Flauio Capro Consentii fonte, diss. Regimont. 1899 p. 36). Ad quod respondebimus sane Ciceronem et Plinium ita dixisse, sed ad aures quasi arbitros eos non recurrentum esse putauisse nisi in iis rebus quae ad pronuntiationem pertinerent uel cum ea coniuncta essent; (cf. Cic. orat. 49, 162: 'Sed quia rerum uerborumque iudicium prudentiae est, uocum autem et numerorum aures sunt iudices, et quod illa ad intellegentiam referuntur, haec ad uoluptatem, in illis ratio inuenit, in his sensus artem. — 163 Duae sunt igitur res quae permulceant aures, sonus et numerus'.) Sed quantum distet ab hac ratione quae in ipsa rerum natura posita esse uidetur, illa grammatici quasi audacia

qua non modo de sonis exigendis, sed etiam de genere et declinatione nominum uocalitatem diiudicare uoluerit, nemo non uidet¹). Quantopere denique Berytii ratio seiuncta fuerit ab institutis Plinii ex eo imprimis colligitur, quod Probus sublata omni necessitudine qua quid solum et unum rectum definiatur, accipiendas esse docuit uarias singulorum nominum figuras, quarum quae quoque loco apte ponatur, solius euphoniae lege discerni uoluit; sicuti modo 'tres' modo 'tris', modo 'haec finis' modo 'hic finis' recte a Vergilio positum esse docuit. Qua ab ratione ita diuersa erat Plinii sententia, ut uniuscuiusque nominis unam tantum figuram commendaret tamquam rectam, lege euphoniae hactenus usus, ut eam inter regulas reciperet quibus uera nominis forma explorari posset; sicuti ex Charisio GL I 55, 21 K (Beck p. 20) intellegitur: 'Amforum an amforarum dicendum sit quaeritur. (amforum in consuetudine est). sed cum eadem suauitas in utraque enuntiatione (sit, non uideo quare quis bar)barum malit, cum aures simili pretio recta dilectent. (dicemus igitur amforarum).' Quae diuersitas Plinii et Berytii ut cognoscatur, apte adtulerit quispiam uerba Charisii GL I 129, 17 K (Beck p. 7) ubi Plinius de ipso accusatio in 'im' definiuit de cuius dubia figura Probus disputauit; haec enim leguntur apud Charisium: 'Febrim ut tussim sitim, ait Plinius. exceptis his tribus cetera accusatio in em exeunt' (cf. Charis. 122, 29 [Beck p. 9] 'ac ne illa quidem ratio recepta est quam C. Caesar ponit in femininis, ut puppim restim peluim; hoc enim modo et ab hoc cani dicemus et ab hoc iu(ueni, pani); cf. Prisc. GL II 329, 3 K). Itaque qui fuerit ille grammaticus, in quem incesserit Valerius Probus (Gellius XIII 21, 1) cum 'finitiones illas praerancidas et fetutinas grammaticas' diceret, non iam dubites; (cf. praeterea Charis. 141, 16 [Beck p. 25]: 'Pacium an pacum et lucium an lucum addubitari etiam nunc ait Plinius 'quoniam nec finitionem ullam in monosyllabis' inquit 'grammatici temptauerunt'; cf. Probi inst. GL IV 95, 30 sqq. K²) et uide p. 84 in fine.)

1) de εὐφωνίας studio quae fuisset eius origo apud Graecos, quique maxime eius laudis probatores exstitissent, disseruit concisis uerbis Balduinus Heinicke l. s. p. 39 adn. De Latinis grammaticis cf. praeterea Donat. GL IV 379, 2 K; Priscian. GL II 372, 6; Consentius GL V 354, 17 K; Augustin. reg. GL V 517, 1 K.

2) Berytii doctrina de dubio genere uocis 'finis' adlatis iisdem uersibus Vergilii refertur in [Charisii] excerptis GL I 555, 25—30 K. cf. [Serg.] explan. Don. GL IV 539, 4 K; Charis. GL I 89, 4 K, praeterea 'turrem et turrim', sicut Berytius, commendat auctor [Charis.] excerptorum GL I 542, 29 K.

Hoc igitur Gelliano in capite Berytii in prouincia nos uersari cum cognouerimus, ne miremur nos uestigiis illius ubique occurrere uelut § 16 ‘hoc enim scriptum in uno atque in altero antiquissimae fidei libro Tironiano repperi’, quibuscum conferas Probi uerba § 4. Nec non ille quem cognouimus ordo argumentationis Probianae reperitur, secundum quem re ex uocalitate sonitus probata et auctoritate ueterum confirmata subicitur ratio et causa § 18: ‘Huius autem uocis cum elegantior hoc in loco sonus est, tum ratio certa et probata est’, et § 14, ubi illi uocalitatis argumento uelut supplementum subiungitur similitudo sermonis Graeci. Addas quod ‘hic fretus huius fretus pro fretum freti’ de quo actum est § 15, adlato exemplo Ciceronis legitur apud Priscianum GL II 170, 3 K inter ea nomina quae se excerpisse confitetur grammaticus ex Capri et Probi libris de dubiis generibus GL II 171, 14 K. Quibus argumentis duo denique subiungenda sunt ex Seruii commento. Etenim integra Berytii sententia de ui uocalitatis legitur ad Aen. I 480: ‘Sciendum tamen est, licet alia euphoniae causa uariantur uel in generibus uel in numeris ‘nactus’ tamen et ‘passus’ ‘n’ penitus numquam accipere’, ubi illud ‘nactus’ (Prisc. GL II 513, 7 K ‘nactum . . . absque n, ut Probo . . . placet’) et ‘passus’ (cf. ad Gell. XV 15) Probi doctrinam aperte ostendunt. Eodem pertinent quae Seruius adnotauit ad Aen. XII, 95: ‘VOCATVS HASTA MEOS inuocationes et preces: nam appellatio est a uerbo quae semper aut in ‘io’ exit, aut in ‘us’; si in ‘io’ exeant, tertiae sunt formae; si in ‘us’ quartae, ut ab eo quod est ‘lego’, aut ‘lectus’ aut ‘lectio’ facit. Sed hoc nos dicimus quod *ἐνφωνότερον* fuerit: sicut nunc ab eo quod est ‘uoco’ ‘uocatus’ fecit, non ‘uocationes’.’ Quae prope accedunt ad ea quae § 19–20 disputata sunt apud Gellium.

De uniuersa igitur ratione Probi, ut calculos subducamus, hoc comperimus Probum in probando sermone ad eam quae dicitur *ἐνφωνία* quasi summi discriminis custodem recurrisse; atque hac in re recte se sentire, id confirmari arbitrabatur exemplo ueterum, Ennii uidelicet Lucretii Ciceronis Vergilii, qui eadem usi essent sententia ac regula.

GELLIVS XV 30.

Gellius eum quem fingere solet molitorem disputationis inducit dicentem Valerium Probum uocabulum ‘petorritum’ e Graeco sermone duxisse quasi ‘petorrotum’. Contra quem ipse Gellius disputans confirmat Probum haec nunquam docuisse.

Atque consimile quoddam schema conspicuum est III 1, 5—6, nisi quod ibi non ipse Gellius, sed Fauorinus alterum illum coarguit eum falso Valerio Probo sententiam adtribuisse. Ipsa uero haec disquisitio, quae est de Graeca Gallica Hispanica origine uocum, comparanda est cum iis quae Quintilianus disserit I 5, 57: 'plurima Gallica eualuerunt ut 'raeda' ac 'petorritum', quorum altero tamen Cicero, altero Horatius utitur. et 'mappam' circo quoque usitatum nomen Poeni sibi uindicant et 'gurdos' quos pro stolidis accipit uulgus, ex Hispania duxisse originem audiui.' Atque id certe intellegitur ex Gelliano capite, Valerium Probum hoc de argumento quaesuisse; id quod nouisse refert, nam ea, cuius partem descripsi, de origine uocum peregrinarum disputatio apud Quintilianum excipitur (I 5, 59) altera quaestione de declinatione nominum peregrinorum quae exorditur ab his uerbis 'ac si reperiis grammaticum ueterum amatorem', ubi Valerium Probum intellegendum esse Ludouicus Radermacher in editione adnotauit et in Rh. M. 60 (1905) 244 probauit.

GELLIVS I 7.

Cfr. Hosius ed. Gell. praef. p. XXIII ('ex Probo').

Ratio erat Probi ut uerba tradita scriptorum apta interpretatione tueretur; id quod sicuti fecit in Sallustio (Gell. III 1) et in Vergilio (Seru. buc. VI 76), ita nunc facit in Cicerone. Tum eodem modo hic (§ 1) liber spectatae fidei Tironiana cura atque disciplina factus affertur quomodo in disputatione Probi (Gell. XIII 21, 16). Deinde ipse Valerius Probus quasi nomine designatur a Gellio, ubi (§ 4) hic more suo uelut defensorem argumenti 'amicum' infert hac notatione: 'homo lectione multa exercitus cui pleraque omnium ueterum litterarum quaesita meditata euigilataque erant', quae penitus congruere cum iis quae leguntur IX 9, 10 'Valerii Probi, docti hominis et in legendis pensitandisque ueteribus scriptis bene callidi' nemo non uidet. Addas quod disserendi modus quo utitur Gellii auctor § 16: 'ita scriptum esse a Cicerone dicebat atque ita ipse lectitabat' idem est atque ille Probianus (Gell. I 15, 18): 'sic legere coepisse et sic a Sallustio relictum affirmauisse'. Denique Probum ipsum disserentem audire tibi uideris § 20: 'illud enim sic compositum iucundius ad aurem completiusque . . . si modo ita explorata aure homo sit, non surda nec iacenti', si contuleris Probianum illud apud Gell. XIII 21, 10: 'ea iudicii subtilitate, ut si aliter dixeris mutauerisque et aliquid tamen auris habeas, sentias suauitatem sonitus claudere.'

Rationem disputationis si respexeris, eum quem cognouimus ordinem Probianum inuenias eumque amplificatum: uerbis Ciceronis, de quibus controuersia est, propositis (§ 1—2) quid in iis reprehenderint obtrectatores exponit (§ 3—4), apta interpretatione et exemplis ueterum allatis recte ita Ciceronem dixisse comprobatur (§ 4—8), rationem subicit ('uidetur ea ratione positum esse') similitudine sermonis Graeci in comparationem uocata (§ 8—9), similia exempla addit (§ 9—12). — Altera deinde disputatio 'eiusdem illius amici nostri' excipit priorem perinde comparata: (§ 16) respicit enim ille 'amicus' quid habeant libri, similitudinem Graecam ostendit, Plauti exemplo rem comprobatur, rationem subicit argumento usus petito ex uocalitate illa quae *εὐφωνία* dicitur.

Tota hac disputatione Probi considerata si quaeras quid tandem hac in re sibi proposuerit Berytius, intellegas Probum noluisse accipere soloecismos qui a grammaticis notari solebant (Quint. I 5, 11: 'sed quidam fere in iactationem eruditionis sumere illa ex poetis solent et auctores, quos praelegunt, criminantur')¹). Qua in re conferendus est liber quartus Charisii, ubi inter soloecismorum exempla nonnullae enumerantur locutiones, quas Probus soloecismos esse negauerat. Veluti sententiae Charis. GL I 266, 33 K: '(fit soloecismus) per genera nominum (ut) "haec finis Priami" (Aen. II 554) pro "hic finis", oppositum est iudicium Probi apud Gell. XIII 21, 12: 'Sed in illo quoque itidem Vergilii uersu "haec finis Priami fatorum" si mutes "haec" et "hic finis" dicas, durum atque absonum erit respuentque aures quod mutaueris.' Tum quae leguntur apud Charis. GL I 267, 10 K: '(fit soloecismus) per tempora, ut (Aen. III 2) "ceciditque superbum Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia" pro "fumaui", cum iis conferenda est sententia Probi (Seru. ad Aen. III 3): 'ait Probus ad discernendum tempus circumflectendam ultimam syllabam, ut intellegamus "fumaui". Denique ad Charisii rationem GL I 267, 2 K: '(fit soloecismus) per numeros ut (Aen. I 212) "pars in frusta secant" conferenda est Probi disputatio (Gell. I 16 uid. infra) de 'mille occiditur'.

GELLIVS I 16.

Cfr. Hosius ed. Gell. praef. p. XXIV; Frid. Marx, Proleg. ad Lucil. p. LXXVIII: 'Aliis tamen locis Gellius scribit ueluti

1) cf. Tolkiehn, 'Q. Remmius Palaemon über den Soloecismus', Woch. f. klass. Philol. XX (1908) 554.

Lucilius in tertio satyrarum sicuti I 16, 2 quod caput fuere qui Probo tribuerent nec errarunt opinor.'

Ex capitibus IV 7 maxime et XIII 21 cognouimus Probum in existimandis legibus, proprietatibus, ui sermonis omnino neglexisse definitiones et placita grammaticorum. Relicto igitur fundamento quo ceteri nitebantur grammatici, noua ei subsidia comparanda erant. An ueterum scriptorum, quos integrae Latinitatis quasi custodes arbitraretur, satis certa erant uerba libris tradita quibus ueluti regulis uti possit? Quas ambiguitates ut tolleret, eum recensiones fecisse supra p. 9 diximus. Restabat uero alter scrupulus quem inicere poterat analogia: ueteres idoneos testes non esse qui rudi necdum polita et exulta lingua scripsissent et poetarum maxime usi essent locutionis genere quod a propria dicendi ratione non numquam recederet. Probi ergo fuit demonstrare ueteres nequaquam 'licenter' ¹⁾ neque de poetarum figura' scripsisse, sed 'ratione certa et proba grammaticae disciplinae' et idcirco testes esse ualidissimos. Id quod fecit Probus hoc loco. Et interest uidere quomodo rem instituerit grammaticus qui hoc in discrimine uti non potuit eo quod adhibere solebat argumentum, testimonium dico ueterum, cum id ipsum ualidumne esset necne quaestio esset. Cauendum ergo erat ne quid probaret ex re quae ipsa erat probanda.

Rem igitur ita instituit: priore parte disputationis negat Quadrigarium aut licenter aut de poetarum figura locutum esse, cum demonstrat non agi hac in re de singulari quadam dictione per licentiam posita, sed de communi eodemque in omnibus scriptoribus usu. Inde haec silua ²⁾ exemplorum ipsi capiti praemissa qua aduersarium quasi obruerit. Subicit uelut maximum argumentum similitudinem Graecam, eandem ostendens rationem cerni in eo quod est *χιλιάς*. Altera parte disputationis demonstratur certa ratione niti Quadrigarii locutionem ideo quod 'mille' sit uocabulum id est nominis species, siue appellatio (uid. Quint. I 4, 20), id quod inde intellegatur quod casu genetiuo coniunctum sit et quod ipsum in casus declinetur et pluratiuum formam figuret. Denique quo magis nobis persuadeatur, simile

1) cf. Plinii uerba (Charis. GL I 118, 19 sq. K; p. 56 Beck) 'quod si manus ueterum licentiae porrigemus, potest et copias et obseruantias et beneuolentias dici.'

2) Animum aduertat unum exemplum attulisse satis habere Probum (Gell. IV 7, 3: 'soli tamen Ennii uersum unum ponit') ubi agebatur tantum de dictione quadam probanda.

Ciceronis exemplum subicitur: ita ut in hac quoque disputatione, quae tamen propria quadam est indole, ordo Probianus agnoscatur 1) proposita exempla ueterum (§ 1—6) 2) subiecta ratio et euocata similitudo Graeca (§ 6—14) 3) similis alius scriptoris usus (§ 15).

Vellem plures huius generis seruari disputationes quae specimen praebeant eius studii quo fundamenta posuit Probus quibus extrueretur omnis ratio eius grammaticae quae pendeat ex sanctitate illa ueterum scriptorum. Atque ualidissimo uti argumento sibi uidebatur cum affirmaret dictioni Latinae ‘mille’ consimile esse Graecum *χιλιάς*. Ex quo intellegitur putauisse eum cognationem quandam intercedere inter utramque linguam, ita ut in consensu Graeci et Latini sermonis non leue rectae loquendi rationis argumentum positum esse iudicaret, quo uera et ingenua Latini sermonis figura a ueteribus scriptoribus custodita confirmaretur¹⁾. Quae si recte disputauimus, iam dubium non erit cui auctori tribuendum sit caput Gellii II 3 quo agitur de aspirationis usu ueterum Latinorum cum Atticis consentiente. (cf. Probi lectiones [georg. I 277] Horcus, non Orcus [p. 42], uehemens, non uemens [Terent. Scaur. GL VII 19, 14 K; uid. p. 104]).

GELLIUS II 6.

Quo de capite Otto Ribbeck in Prolegomenis ad Vergilium p. 144 haec disserit: ‘Defendit enim (Probus) quod ecl. VI 76 legitur “uexasse rates” ut non per *ταπεινώσιν* sed propria uerbi ui dictum: defendit autem, nisi fallit coniectura, contra Cornutum qui cum apud Gellium II 6 eisdem fere uerbis refutetur, non nimis audax suspicio erit, hunc quoque Probi commentarium non nominato ut alias auctore excerptis, et a familiari quodam Probi Gellium sua accepisse Kretzschmerus quoque p. 92 statuit. Id uero qui probauerit, etiam illud concedet, reliquam apud eundem de ‘inlaudati’ ge. III 5 et de ‘squalentem’ Aen. X 314 uocabulorum usu contra Cornutum disputationem eidem Probo nostro deberi.’ (cf. Hosius ed. Gell. praef. p. XXV.) Itaque quae de Probo totius disputationis Gellianae auctore efficiantur, haec sunt: Principium quoque capituli Gelliani ex Probo esse uel, ut ita dicam, tres locos Vergilianos a Cornuto uituperatos in Probiana iam commentatione congestos esse atque a Berytio contra illum

1) atque refert ut declaretur quibus institutis imbutus philosophicis Berytius accesserit ad grammatica studia; quod munus praestare possit is qui excussa omni Valerii Probi memoria doctrinam eius enarraturus sit.

castigatorem (uid. p. 67 adn. 2) defensos, neque primum Gellium Probi auctoritatem contra Cornuti obtreccionem mouisse, docent uerba Seruii ad buc. VI 76: 'nam non uexauit sed euertit (qua in re posita erat Cornuti obieccio [Gell. II 6, 2]), quod Probus uult hac ratione defendere sqq.', ubi Gellius Probi nomine remoto suae eruditionis simulatam speciem supposuit: (§ 5) 'sed de uerbo uexasse ita responderi posse credo.' Neque minus illas de 'inlaudati' et 'squalentem' disputationes quae uerbi 'uexasse' defensionem excipiunt, Probo tribuendas esse his de causis credas oportet, quod eas procedere apparet ex eodem de sermone Latino et de Vergilio poeta iudicio quod in Probo cernitur § 5—7, dein quod disputationis ratio aequae est comparata, denique quod omnino Gellium unum auctorem sequi in singulis capitibus conscribendis post Mercklinium concedunt plerique.

Viam autem disputationis Probus secutus est eam ut demonstraret propriam uerbi 'uexari' significationem esse 'rapsari uel distrahi' (§ 5) quae reperiretur in prisco sermone (§ 7—8); recentem autem loquendi consuetudinem inquinatam¹) esse et ideo argumento esse nequire (§ 6). Qua in re quae attulit similia uerba, uelut 'taxare, quassare', ea adsumere potuit ex Verrio Flacco (Fest. p. 356, 21; p. 261, 16). Atque eadem est defensionis uia in uerbo quod est 'squalentem'. Etenim uera significatio uerbi ostenditur (§ 20) supposita auctoritate Verrii Flacci (Kretzschmer l. s. p. 72) cuius doctrinam seruauit Festus Pauli ope restitutus p. 382, 5: '[squalidum in]cultum et sord[idum ait Verrius significare, sic die]tum quod proxime [ad similitudinem squamae pi]scium accedit [certe eorum qui in profunditate ab]diti paludum squ[alent maxime.]' Exempla ueterum afferuntur (§ 21—24), deinde multo assiduoque usu uerbum contaminatum esse affirmatur (§ 25)²). Neque aliter

1) ut 'corruptum' (*διαφθαγμένον*) notari solebat Asianorum dicendi genus ab iis qui illos impugnabant; cf. Strabo XIV 648 Hegesiae sermonem notans: *ἤρξε μάλιστα τοῦ Ἀσιανοῦ λεγομένου ζήλου παραφθείρας τὸ καθεστὼς ἔθος τὸ Ἀττικόν* (cf. Quintilianum l. s. et VI 3, 107 et X 1, 100, nec non Cic. de opt. gen. or. 8). Ex scriptis Senecae patris qui eo uocabulo plerumque utebatur, locos collegit E. Norden, *Kunstprosa* I 267 adn.

2) Eadem quae Gellius tradit § 20—25 leguntur apud Ser. um ad Aen. X 314: "squalentem auro" splendentem auro: et significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti: squalere enim dictum a squamarum crebritate atque asperitate, quae in serpentum pisciumue coriis uisuntur: alibi (XI 770) "quem pellis aenis in plumam squamis auro conserta tegebat" et alibi

comparata est altera pars eius disputationis qua usus uerbi 'inlaudati' defenditur, qua in re iterum niti potuit auctoritate Verrii Flacci; etenim ad II 6, 16 'Laudare significat prisca lingua nominare appellareque' conferendus est Paul. Festi p. 118, 3: 'LAVDARE ponebatur apud antiquos pro nominare.'

Superiorem disputationis partem (§§ 9—15) ut Probo tribuamus, primo obtutu alio argumento commendari non uidetur nisi quod eodem Gellii capite comprehensa sit similitudine materiae coniuncta. Plane enim differt ratio. Non enim priscae linguae exemplum affertur, non poetae Latini ueteres tamquam testes excitantur, sed philosophica quadam dissertatione dictio defenditur, allatis exemplis Graecis, prouerbio scilicet, Homero, Epicuro. Atque hac fere ratione procedit argumentatio: 'Nemo tam improbus est quin interdum faciat aut dicat aliquid quod laude dignum sit (quae sententia prouerbio Graeco probatur); unde sequitur eum qui 'inlaudatus' sit, id est qui omni in re atque omni tempore laude omni uacet, eum omnium pessimum deterrimumque esse.' Qua in re duo restabant quae argumentum desiderabant, alterum (quod ad sermonis leges pertinebat): recte dici inlaudatum non eum qui aliqua in re laudem non meruisset — quem significatum natura postulare uidetur participii in quo inest uerbi id est temporis et actionis notio — sed qui omni in re et omni tempore laude uacaret; alterum (et hoc in sensu positum erat): recte priuationem laudis dici posse finem extremae malitiae.

Atque utrumque Probus ratione subiecta probat. 'Inlaudatum' non tam sub participii, sed magis nominis specie recte et Latine accipiendum esse confirmat allata dictione quae eiusdem rationis esse uidetur 'inculpatus'; alterum illud, quod in sensu positum esse diximus, probat auctoritate Homeri, qui non uirtutibus appellandis sed uitiiis detrahendis laudare ampliter soleat. Et

(XI 487) "iamque adeo rutilum thoraca inductus aenis horrebat squamis." quidquid igitur inculcatum obsitumque aliqua re erat, squalere dicebatur.' Quae cum ad uerbum referat Gellius, Seruium hoc loco Gellium descripsisse dixerit quispiam. Tamen cum eandem similitudinem Seruii (ad buc. VI 76) et Gellii (huius capitis § 5—6) inueniamus, ubi Seruium non adhibuisse Gellii caput, sed Probum ipsum sequi apta collocatione aperte docuit Rudolfus Reppe (de L. Annaeo Cornuto, diss. Lips. 1906 p. 35), hic quoque Seruius Probum ipsum adisse putandus est, ad cuius auctoritatem se recurrisse passim confitetur. Id quoque apparet, cum Seruius ad uerbum concinat eum Gellio, hunc hoc capite II 6 ipsa Probi uerba exscripsisse (cfr. Franz Skutsch, Aus Vergils Frühzeit, Leipz. 1901 p. 101 adn.).

de omni sententia, qua uelut fundamento hac in disputatione usus est cum affirmaret detractio alicuius rei effici quod eiusdem rei contrarium esset, supremum excitat testem Epicurum qui (§ 12) 'simili modo maximam uoluptatem priuationem detractio- nemque omnis doloris definiuit.' Cuius philosophi quod usus sit auctoritate M. Valerius Probus qui carmen Lucretii recensuit, caue ne mireris. Ad eam denique sententiam Probi qua 'in- laudatum' non participium sed quasi nomen accipere maluit, conferas adnotationem Probi ad Phormionem I 3, 3, ubi 'in- cogitans' temerarium significare ait et non participium sed nomen appellauit.

Sententia Probi seruata est in scholiis Bernensibus ad georg. III 5: "inlaudati" non quod laudatus non sit, sed quod non meruit. participium pro nomine posuit, ut "inlaudatus Apollo". Praeterea huc pertinet Fragmentorum Bobiensium¹⁾ adnotatio GL VII 542, 19 K 'inamabilis: pessima' adnotata ad Aen. VI 438 (cf. Gellianae id est Probianae disputationis § 13: 'eadem ratione idem Vergilius [ge. IV 479; Aen. VI 438] "inamabilem" dixit Stygiam paludem. Nam sicut 'inlaudatum' κατὰ στέρησιν laudis, ita 'inamabilem' κατὰ amoris στέρησιν detestatus est'); cf. CGL II 248, 43 *Ἀστοργος* inamabilis 253, 23 *Ἀφιλητος* inamabilis.

In inferiore parte disputationis Gellianae quae incipit inde a § 15: 'altero modo "inlaudatus" ita defenditur', desideramus exemplum quo fretus dixerit Probus prisca lingua laudare tantundem ualere atque nominare; nisi quis affirmet Probum in tribunalium sermone priscam linguam conseruari arbitratum esse, cui rei minime congruunt quae leguntur Gell. I 22, 2 (uide infra). Nescio an auxilium ferat Nonius 335, 12 M qui ad hunc quem Probus tractauit uersum georgicorum (III 4) addidit uersum Plauti qui in Gellio non inuenitur. Facile cogitaueris Gellium hunc uersum omisisse eodem modo quo ad priorem disputationem de uerbo 'uexasse' exemplum Ciceronis omisit seruatum a Seruio. Inserueris igitur uersum Plautinum uerbis Gellianis: Laudare significat prisca lingua nominare appellareque. (Plautus in Captiuis (426)

Id ut scias Iouém supremum téstem laudo Hégio):
sic in actionibus ciuilibus auctor 'laudari' dicitur quod est nomi-
natus.'

1) quorum de indole origineque obseruationem respicias Friderici Vollmer Philolog. Suppl. X (1907) p. 287 adn. 55.

GELLIVS I 22.

cf. Hosius ed. Gell. praef. XXV: 'an ex Probo?'

Probo hoc caput Gellii tribuendum est propter uniuersam quaestionis rationem quam Probo peculiarem esse cognouimus (uide supra p. 128), qua ueterum sermonem quem ueram Latinitatem exhibere iudicabat, oppositum uoluit esse recenti loquendi consuetudini.

Nec non disputationis uia ea est quae Probo propria fuit qui exemplis Latinorum allatis similitudinem Graecam adhibere solebat. Sic hoc loco cum uerbo Latino 'superesse' Graecum *περισσόν* simili ratione usurpatum contulit.

Tum plane Probi ratio cognoscitur § 12—13¹⁾ ubi Vergilium uerbum 'superesse' *ἀκρότερον* posuisse contendit, deinde alium locum ostendit ubi rectius eodem uerbo usus sit poeta. Quae apte contuleris cum adnotatione Probi quam seruauit Seruius ad Aen. IX 811: 'Probus ait "commodius hic est 'aeger' quam in quinto (432) 'vastos quatit aeger anhelitus artus': quamuis consuetudo sit Vergilio ista mutandi."

Sane Gellius § 9 Iulium Paulum auctorem nominat; sed hic Gellii familiaris eodem loco habendus esse uidetur quo Annianus poeta, quem recte ubique in scriptis Gelli uicarium Probi arbitreris. Conferas Gell. XIX 7, 1: 'Iulius Paulus poeta, uir bonus et rerum litterarumque ueterum inpense doctus', unde apparet eum Probi institutis imbutum fuisse.

GELLIVS IV 15.

Iam supra cognitum est Probum reprehensiones refutauisse quae in Sallustium factae erant (III 1). Atque cum hic ratio eadem reperiatur qua Probus in tali defensione uti solebat, scilicet ut demonstraret obtrectatores non ueram significationem uerborum intellexisse, cum ipse propria significatione exposita etiam sententiam plane procedere probaret, haec quoque disputatio Gelliana Probo auctori tribuenda erit. Accedit quod hic (§ 6) Graecum illud *χαλεπόν* confertur Latino uocabulo 'arduum' eadem ratione qua Probus ubique ad aperiendam uim Latinae dictionis Graecam similitudinem adhibere solebat. Denique illud de Sallustio iudicium (§ 1) 'Elegantia orationis Sallustii uerborumque fingendi et nouandi studium' penitus congruit cum iis quae Valerius

1) quem locum Kretschmerus l. s. p. 78 Hygino adtribuere maluit, sed ipse parum sibi confidens ('obiter denique commemorabo suspicionem quandam seqq.').

Probus de Sallustii dicendi genere protulit (Gell. I 15, 18): 'quod "loquentia" nouatori uerborum Sallustio maxime congrueret.'

Praeterea placet monere Probum hoc uocabulum 'arduum' ea quam hic statuit significatione ipsum adhibuisse in adnotatione ad Vergilium (Seru. ad Aen. VII 421): 'FVSOS PATIERE LABORES Probus de temporum conexione libellum composuit in quo docet quod cui debeat accommodari. ex quo intellegimus hanc quam fecit arduam esse conexionem', ubi arduus 'molestum' 'incommodum' significat, sicuti Probus definiuit apud Gellium.

Quis fuerit ille qui Sallustium reprehenderit, suspicari licet ex Suetonii libro de gramm. 10: 'Asinius Pollio in libro quo Sallustii scripta reprehendit.'

Ipse Pollio nominatur Gell. X 26¹): 'Asinio Pollioni ... dignum nota uisum est quod in primo historiarum maris transitum transmissumque nauibus factum transgressum appellauit (Sallustius).' Hoc quoque loco Probum Sallustii partes defendere inde apparet quod perinde ac supra (III 1, 5) Sallustianum illud 'corpus et animum effeminari' Valerius Probus comprobauit supposita figura circumlocutionis, sic hoc quoque loco 'transgressus' de nauium transitu dictus comprobatur excusatione figurae translationis. Tum afferuntur exempla ueterum (Catonis Lucretii) qui simili uel eadem translatione usi sint, denique subicitur (et hoc plane est ex consuetudine Probi; cf. Gell. II 6, 13) ipsius scriptoris, de quo agitur, consimilis locutio.

GELLIUS IV 17.

Cf. Ribbeck prol. ad Verg. 139: 'Valde igitur probabile quod dubitanter Kretschmerus p. 90 coniecit, Gellii IIII 17 caput, ubi 'iniice' Aen. VI 366 et 'subiicit' ge. II 19 et 'obiicibus' ge. II 480 et scribendum et legendum praecipitur, totum Probi esse uel saltem a Sulpicio Apollinari ex huius commentariis excerptum.' Simile iudicium profert Hosius (l. s. p. XXVII) de capitis II 17 fontibus disserens: 'Non suo periculo Ciceronem Gellius aggredi ausus est. Multorum, qui illius argumentationem amplexi sunt, nemo propius accedit nisi is, qui de ultimis syllabis scripsit; cfr. locos non ita inter se distantes GL IV 253, 20 et 255, 4 et de perfecto 'coegi' (Gellius § 10) 262, 9. Cui licet nomen Probi mera coniectura Parrhasii inditum sit, tamen in iis, quae nos spectamus, Minerua illi fauisse uidetur. Nam ut hic de productis 'in' 'con'

1) Hosius ed. Gell. praef. p. XLII: 'fortasse ex Probo.'

'pro' disputatur, sic IV 17 de 'con' 'sub' 'ob' 'pro' addito praeter alia eodem exemplo Sallustiano, quod caput ad Probum uel Sulpicium Apollinarem reuocauerunt. Ex Probo hauserunt Diomedes (cfr. Keil pr. LII) et Priscianus, praecipue in capite de perfecto: habes Gellium § 2 concinentem cum Diomede 409, 2; 433, 15; § 11 cum Prisciano I 461, 14 (de 'coegi'). Haec omnia documenta esse infirma non me fallit, sed non infirmiora quam quibus nisus Beck¹⁾ Plinium ex inferis arcessiuit. Itaque his ex suo quisque ingenio demat uel addat fidem.'

Hosium recte suspicatum esse Valeriumque Probum re uera auctorem esse huius disputationis Gellianae, ex consensu Quintiliani et Velii Longi supra demonstraui (p. 97). Nam quod Kretzschmerus Probo hoc caput adtribuere dubitauerat (p. 90) ideo quod apud Seruium (ad Aen. I 1) ageretur de i littera uocalibus interposita, apud Gellium uero aliusmodi exempla afferrentur, nimia cura usus est. Etenim utroque loco eandem sententiam subesse apparet: i geminatae scriptione significari uim praecedentis syllabae, quamuis sit natura breuis, ita augeri ut pro longa ualeat. Neque huic de Probo auctore sententiae obstat quod Gellius Sulpicii Apollinaris nomen protulerit; nam apte Gellius more suo induxit tamquam uicarium Probi eum, quem Berytii doctrinae custodem inuenimus schol. Veronens. ad Aen. IX 369.

Consideranda est igitur ratio disputationis Gellianae. Atque reprehenditur consuetudo eorum qui uocabula 'obiciebat' 'subicit' similia, in quibus prima syllaba natura breuis est, hac producta legere soleant, eo consilio ut metri ratio in prima sede uersus heroici salua sit. Contra quam rationem contenditur posse et metrum integrum esse et praepositiones istas non barbaramente protendi. Secundam enim syllabam in his uerbis per duo i, non per unum scribendam esse; uerbum enim esse 'iacio', quod ubi compositum sit, 'iicio' fiat. Duas autem litteras i hoc modo iunctas adeo non in se ipsas coire (uid. p. 92 sqq.) et unam fieri, ut prior littera i consonans facta sonum suum proprium uel morae quae dicitur spatium retineat, atque hac ratione secunda syllaba producta priorem syllabam positu longam effici (Gell. l. s. § 8: 'atque ita uim consonantis capit, et idcirco ea syllaba productius latius-

1) I. W. Beck, *Studia Gelliana et Pliniana*, Fleckeis. Suppl. XIX (1892) p. 8. At Plinium auctorem non esse demonstratum est huius disputationis p. 97.

que paulo pronuntiata priorem syllabam breuem esse non patitur'); itaque in uerbis uelut 'obiicibus' (§ 12) o litteram, positu tantummodo longam, in pronuntiatu correptam efferendam esse, cum i littera, quae in uocabulo gemina esse debeat, 'paulo uberius largiusque' pronuntianda sit. Ubi grammaticus non docebat 'sūbīcīt' legendum esse — quod si fecisset, barbare ipse protendisset syllabam natura breuem, quod ne fieret, omnino hanc disputationem instituerat —; sed legebat ille 'sūbīcīt', paulum in pronuntianda consonanti i commoratus, 'ita ut numerus in uersu et ratio in pronuntiatu maneret' (§ 8)¹).

His de studiis Probi orthographicis et metricis, quibus geminum i talibus in uocabulis perscribendum esse confirmauerit ex uniuersa natura consonantium qua littera consonans cum pari littera coire nequeat, deinde quomodo scriptione hac ratione confirmata usus sit ad designandas mensuras syllabarum custodiendasque, supra disputatum est (p. 100), cum Quintiliani uerba I 4, 10—12 explanauerimus. Ceterum, quod Probus naturam syllabarum in legendis uersibus diligenter obseruari uolebat, id necessario coniunctum erat cum illa sententia qua ueram syllabarum mensuram numeris et seruari et ostendi contendebat, sicuti ex Ennii uersu Hannibālem producta paenultima dicendum esse collegit (Gell. IV 7).

Quomodo ceteri grammatici, qui duplex i non scribendum esse censebant, de istis uocibus quas Probus apud Gellium tractauit, iudicauerint, intellegere licet ex adnotationibus Seruii. Atque leguntur ad Aen. IV 549: 'OBICIS HOSTI 'ob' naturaliter breuis est, sicut et 're' et 'ad'; sed plerumque producuntur hac ratione: obicio reicio adicio i habent uocalem sequentem, quae

1) Prope accedunt ad hanc rationem ea quae disputata sunt de uocabulo p̄rietibus uersu heroico comprehenso in [Probi] tractatu de ultimis syllabis GL IV 257, 18 K: 'decimus modus est, si post uocalem subiecta sit consonanti i uocalis uel u et correptam uocalem habeat consequentem, ut (Aen. V 589) 'parietibus textum caecis'. in hoc uersu quoniam prima pars orationis correptam habet, hoc genere positionis primam syllabam longam efficitur. secundam namque syllabam resecamus per medium et praecedentem consonantem primae syllabae conglutinamus, uocalem autem ad tertiam reuocamus et loco consonantis defigimus. hic sane modus positionis apud Vergilium non in superiore exemplo tantum, sed in multis uersibus inuenitur'; cf. praeterea Velium Longum GL VII 48, 15: 'atque adeo consonans est (i) ut in metro idem praestet. cum enim lego (Aen. V 643) 'et iacit arrectae mentes stupefactaque corda' fit primus pes dactylus, 'et iacit', proinde ac si immutata hac ipsa i positaeque pro ea alia consonante dicerem 'et facit' e. q. s.'

per declinationem potest in consonantis formam transire, ut obieci reieci. ergo etiam antequam transeat, interdum fungitur officio consonantis et praecedentem longam facit.' Tum ad Aen. V 522: 'OBICITVR superius (IV 549) de his particulis secundum I u b a m artigraphum tractauimus; sed dicunt alii istas monosyllaborum ratione uel produci uel corrip. sane sciendum naturae esse ut breues sint: euphoniae uel Iubae ratione in compositione producuntur, si tamen 'i' sequatur quae licet non sit consonans, potest tamen in declinatione pro consonante haberi'; cf. Seru. ad Aen. X 473.

GELLIVS II 17.

Apud Gellium IV 17, 6, de cuius capitis auctore M. Valerio Probo supra diximus, haec leguntur: 'Sed neque 'ob' neque 'sub' praepositio producendi habet naturam, neque item ('con'), nisi cum eam litterae secuntur quae in uerbis 'constituit' et 'confecit' secundum eam primae sunt, uel cum eliditur (ex) ea n littera sicut Sallustius (*hist. fr. IV 52 M.*): «faenoribus» inquit «copertus».' Idem exemplum Sallustianum legitur II 17, 7 in simili de natura praepositionum disputatione; postea subicitur (§ 9): 'Sed tamen uideri potest in his, quae posui, ob eam causam particula haec produci, quoniam eliditur ex ea n littera: nam detrimentum litterae productione syllabae compensatur.' Quem ob consensum duo Gellii capita II 17 et IV 17 ad eundem auctorem (Probum) reuocanda esse iam Hosius uiderat (ed. Gell. praef. p. XXVII).

GELLIVS VI 10.

Non nunquam in Gellio affinitate locorum communem fontem indicari monuit Mercklinius l. s. p. 664, cuius rei exempla Hosius contulit (l. s. p. XXVIII) ueluti capita XIII 11; 12; 13 et XVI 16; 17; 18 ex Varrone, XIII 14; 15; 16 ex Messalla, XIV 1; 2; 3 ex Fauorino, XVII 15; 16; 17 ex Plinio, XIX 2; 4; 5; 6 ex Aristotele. Sic ex Probo sumpta esse uidetur haec series capitum VI 7; 9; 10; 11. Nam capitis decimi auctorem Probum demonstrat similitudo atque conexus argumenti, cum agatur de uocabulis copulatis et de dictionibus iuncte atque producte pronuntiandis aequae atque in VI 7 et IV 7 capitibus certa ratione ad Berytium reuocandis. Praeterea ex Catonis explicatione colligitur captionem esse uelut captionem, t litteram igitur intercidisse. Per quod satis dilucere ait auctor a longam esse, aperte nisus ea sententia 'detrimentum consonantis pro-

ductione uocalis compensari' quam Probi esse supra (p. 135) cognouimus ¹).

GELLIVS VI 11.

Probum auctorem ostendunt 1) argumenti genus quod in eo uersatur ut ueterum dicendi propria ratio recenti ac uulgari sermoni opponatur; cf. Gell. II 6, 6 (p. 128). 'Non igitur quia uolgo dici solet 'uexatum esse' quem fumo aut uento aut puluere, propterea debet nis uera atque natura uerbi deperire quae a ueteribus qui proprie atque signate locuti sunt, ita ut decuit, conseruata est', quibus cum uerbis initium huius capitis fere concinit (§§ 1—3); 2) series capitum VI 7; 9; 10 praecedentium quae ex Probi doctrina fluxerunt (uid. supra ad Gell. VI 10); 3) similitudinis Graecae comparatio (§ 2 'quod genus Graeci fere ἄσωντον uel ἀκόλαστον dicunt'), ubi monere libet Probi studium comparandae linguae Graecae et Latinae non in eo uersari ut uocis Latinae originationem Graecam ubique ostenderit — id quod praeter Probum (Don. Hec. prol. I 2) alii fecerunt — sed similis dictionis similem usum, sicuti (Gell. I 16, 8 [p. 125]) 'mille' inlustrauit Graeca uoce χιλιάς (Gell. IV 15, 6 [p. 131]) Latinum 'arduus' Graeco 'χαλεπός'; 4) modus afferendi libros (cf. Marx, Prol. ad Lucil. p. LXII sqq.), uelut § 3 'M. Tullii secunda Antonianarum' uel § 7 'Q. Claudius in primo annalium'.

GELLIVS VI 20.

De Probo auctore cogitauerunt H. Nettleship, Lectures and Essays, Oxford 1885 p. 274, C. Hosius, praef. p. XXXVI.

1) Hac sententia Berytii de ui consonantium cognita nescio an sanari possit suoque auctori restitui adnotatio Donati ad Phorm. II 3, 26: 'AIN TANDEM «ain» ἀπόστροφος nota est quae separat E ab N littera i tenuit sed (se sed Vatican. Regim. 1496) sonum. est enim integrum «aisne».' Qua ab adnotatione non seiungenda est illa ad Andr. V 3, 4¹: 'AIN TANDEM quaerit Probus «ain» quae pars orationis sit et an una sit. est autem «ain» quasi «aisne».' Itaque facile adfirmauerit quispiam illam ad Phormionis uersum adnotationem, quippe quae omnino accommodata sit huic Probianae quaestioni ad Andriae uersum relatae, ipsam quoque ad Berytium referendam esse. Id quod aliunde praeterea euinci posse uidetur. Nam prior pars adnotationis 'ἀπόστροφος nota est quae separat E ab N' aperta est; in iis uero quae sequuntur uerbis corruptis editor recte intellexit agi de explosa littera s, et proposuit legendum: 'unde littera s ante n amittit sonum'; ubi prope ad ueritatem accessisse neque eam tamen prorsus assecutus esse uidetur. Etenim illud 'sed sonum' antecedere indicat negationem; quam si inserueris: 'littera i (<non> tenuit s, sed sonum' haec uerba Probianam sententiam repetunt: 'detrimentum consonantis productione uocalis compensatur' (uid. p. 135).

Probum auctorem demonstrant praeter librorum rationem habitam (§ 1, § 6; cf. XIII 21, 4; 16; I 7, 1), argumentationem ex suauitate sonorum (§ 2), comparationem Homeri (cf. IX 9, 12; II 6, 11) imprimis sententia illa (§ 6) qua utitur Gellii auctor cum pronuntiet genus nominum ex uocalitate sonitus recte mutari, quam sententiam praeter Berytium quemquam sustinuisse traditum non est (cf. ad Gell. XIII 21 [p. 121 sqq.]). Ceterum figura ipsa argumentandi uelut § 9 'cum dicere 'ebrio' posset quod erat usitatus 'acinum' in neutro genere appellare, . . . tamen ebriam dixit propter insequentis a litterae concentum' omnino consimilis est ei rationi quae conspicua est XIII 21, 21: 'Lucretius . . . funem feminino genere appellauit . . . cum dicere usitatus manente numero posset e. q. s.', ubi Probum auctorem esse ostendimus p. 120sqq. De ratione et doctrina Probi haec comperimus eum in carminibus Vergilii hiatum qui dicitur obseruauisse opinatumque esse poetam Latinum hac in re Homeri exemplum sequi. Quod cum contenderet grammaticus, iusto iudicio eum usum esse uix concesseris (Guil. Christ, *Metrik d. Griech. u. Römer*, Lips. 1879² p. 41). Certe ea quae de concursu uocalium similibus docet (§ 3) 'uocalem in priore uersu extremam eandemque in sequenti primam canoro simul atque iucundo hiatu tractim sonare' non probata fuerunt Quintiliano VIII 4, 33: 'Pessime longae, quae easdem inter se litteras committunt, sonabunt'.

Iam de Catulli hendecasyllabis (§ 6) agendum erit. Atque poetam ipsum 'ebriosa acina ebriosioris' scripsisse et codices Catulliani probare uidentur et nostri aevi editores praeter Aemilium Baehrens docuerunt. Quae figura praeterea postulat constanti consuetudine poetae, qui talibus in enuntiatis adiectiuum sibi ipsum esse par uoluerit, ueluti 22, 14 'idem infaceto est infacetior rure'; 39, 16 'nam risu inepto res ineptior nulla est'; 99, 2 'saiolum dulci dulcius ambrosia'; 14 'saiolum tristi tristius elleboro'; cf. 111, 2 'nuptarum laus e laudibus eximiis'. Probus uero, si recte Mauricius Haupt (opusc. II 123) uerba Gellii restituit, legere praecepit 'ebria'. Nempe ut laudem aliquam, 'suauitatem scilicet hiatus illius Homerici' poetae tribueret suamque sententiam commendaret, uerba poetae temptauit eadem audacia eademque ratione qua Sallustianum uerbum (Gell. I 15, 18 LOQVENTIAE) tetigit et Vergiliana (Aen. VIII 406 INFVSVM; X 539 ALBIS; X 303 VADIS [cf. p. 57 sqq.]).

GELLIVS VII 16.

Probum auctorem esse opinatus est Hosius (praef. p. XXXVIII) duce Mercklinio et Hertzio. Atque tali sententiae sunt documento 1) argumenti natura, cum defendatur propria significatio uerbi 'deprecor' contra 'uirum bonum' qui 'ita esse dictum putabat ut plerumque a uulgo dicitur (cf. ad Gell. II 6; VI 11); 2) ratio illa qua obtrectatoris de poeta iudicium refutatur eo modo ut obtrectatorem non ueras uerborum significationes cepisse demonstretur (cf. ad Gell. IV 15; I 7; II 6 praecipue); 3) argumentationis ordo Probianus; nam proponitur genus uituperationis (§ 1—4) quae deinde refutatur explanata uera uerbi significatione et allatis exemplis ueterum (§ 5—11); denique comparatur similis locutio Graeca *παραιτίσθαι* (§ 11 'propinqua significatione') et subiciuntur alia exempla Ciceronis (§ 12—13); 4) argumentum illud quo contenditur (§ 5) mensuram syllabarum coniunctam esse cum omni ui et significatione uocabuli, ita ut mutata mensura sensus quoque dictionis mutetur ('nam "de" praepositio, quoniam est anceps, in uno eodemque uerbo duplicem uim capit. sic enim "deprecor" a Catullo dictum est . . .; contra autem ualet, cum Cicero e. q. s.'). Hanc enim sententiam a Probo custoditam esse intellegitur ex iis quae de diuersa syllabarum mensura disputata sunt et Valerio grammatico (= M. Valerio Probo; cf. p. 56) tribuuntur apud Aldhelmum in libro de re grammatica et metrica (A. Mai, classic. auct. tom. V Romae 1833 p. 538): 'Liquor si nomen tertiae fuerit declinationis, pyrrhichius est . . . Nam si liquor uerbum fuerit tertiae coniugationis uel tertii ordinis, ut Valerio grammatico uocare libuit, trochaeus.' (Nam quae Aldhelmus Valerio illi adtribuit, haec ex Valerii Probi doctrina esse efficitur praeterea consensu Prisciani GL II 398, 3 sqq. K et Diomedis GL I 343, 1 sqq., 434, 9 sq. K (cf. H. Keil praef. vol. I p. LIV; vol. IV p. XXII).

Sane alia res est mensura syllabae, alia accentus. Tamen haec duo ita inter se coniuncta sunt, ut separari posse non uideantur. Quid praeterea senserit Probus de ui accentus in distinguenda significatione uerborum, testimonia sunt haec: Gell. VI 7, 5: 'Addebat (Annianus = Probus) quod «ad» praeuerbium tum ferme acueretur, cum significaret *ἐπίτασιν* quam intentionem nos dicimus', tum Seruii adnotatio ad Aen. III 3: 'nam quod Probus ait ad discernendum tempus circumflectendam ultimam syllabam, ut intellegamus "fumauit", non procedit.'

GELLIVS VIII 12.

Disputationis Gellianae, quod caput intercidit, summa seruata esse uidetur in Donati qui fertur commento ad Andr. I 1, 28₃: PLERIQUE OMNES F. ἀρχαῖσμός est. nam errat qui 'plerique' παρέλλον intellegit aut qui subdistinguit 'plerique' et sic infert 'omnes'. hoc enim pro una parte orationis dixerunt ueteres eodem modo quo Graeci πάμπολλα et Latini 'plus satis' (Eun. I 2, 5). Naeuius in bello punico (libr. inc. fr. 14 M.) 'plerique omnes subiguntur sub unum iudicium'. Qua in adnotatione facile agnoscuntur et apertus cum Gellio consensus et rationis Probianae proprietates. Atque conferenda est adnotatio ad Eun. I 2, 5: 'TAM CALESCES PLVS SATIS 4. . . . at mihi uidetur de his esse quae a ueteribus geminabantur ut 'plerique omnes' (Andr. I 1, 28; Phorm. I 3, 20) id est 'omnes', et 'pleraque omnia' (Heaut. IV 7, 2) id est 'omnia'. sic etiam 'plus satis' pro 'satis'.

Probum huius sententiae auctorem esse, praeter illud quod supra dixi argumentum ex natura argumentationis petitum, duo confirmant testimonia, quorum alterum est hoc: COD. AMBROSIANVS L 22 s. X. f. 25^v (R. Sabbadini, Studi ital. di filol. classica [1903] XI p. 174) = frgm. 77: 'Probus addit satis et plus abundanter etiam comparatiuo iungenda' (sed conf. consimilem locum Pomp. GL V 156, 27 K et cetera quae congesta sunt in APPENDICE A ad nr. III), alterum hoc est: Don. ad Phorm. V 8, 11: 'ADHVC CVRAVI τῷ ἀρχαῖσμῳ addidit 'adhuc', cum potuisset sine hoc integer sensus esse'; ubi illa locutio 'potuisset sine hoc integer sensus esse' iisdem uerbis comprehensa alio commentarii loco non reperitur, sed occurrit in Seruio, ubi uerba ipsa Probi afferuntur (ad Aen. I 21): 'in Probi adpuncti sunt et adnotatum "hi duo si eximantur, nihilominus sensus integer erit."'

GELLIVS IX 12.

Quod caput ex Berytii doctrina fluxisse certa ratione demonstrari posse non uidetur; tamen sunt argumenta quae Probum auctorem indicent. Nam hunc omnino in quaestione de aduersa significatione uerborum uersatum esse non tam ostenditur Gellii capite VII 16 (id quod Hosius affirmat p. XL) quam XV 13 capite Probianae originis (p. 144 sqq.) quo agitur de uerbis communibus. Etenim utroque loco (IX 12 et XV 13) idem esse apparet quaestionis genus, uidelicet de actiua et passiuua significatione dictionum siue nominum siue uerborum, quarum figura tamen communis sit. Eadem quoque designatio utrobique legitur: XV 13, 1

‘significatio reciproca’, IX 12 (in lemmate) ‘significatio aduersa et reciproca’, quod uocabulum non Gellio, sed communi utriusque capitis auctori recte tribuerit quispiam. Accedit quod similis quaestionis species inuenitur in quaestiuncula Probiana de dubio genere (Gell. XIII 21, 19): ‘hic incestus» non qui admisit, sed quod admissum est.’ Deinde conspicua est ea ratio quam ubique in Probianis disputationibus deprehendimus, qua ueterum usus recenti consuetudini opponatur § 4: ‘Quis enim e medio facile dixerit «infestum» esse cui alter infestus est? Sed et ueteres plerique ita dixerunt e. q. s.’ Praeterea quae § 19 leguntur: ‘Sed super eo, qui nescit, frequens huius uocabuli usus est, infrequens autem est de eo, quod nescitur’ haec Berytii elocutionis formulam repetere uidentur qua usus est Don. Phorm. I 3, 3: Probus ‘nomen incogitans’ inquit ‘in usu est, at non eodem modo cogitans.’ Denique quae § 22 profertur interpretatio uersus Verg. Aen. X 706, iterum occurrit in adnotatione Serui quae probabiliter ad Probum refertur: IGNARVM LAVRENS HABET ORA MIMANTA . . . uera . . . est lectio ‘ignarum’ id est ignoratum, qui nesciretur: et est supina significatio, sicut in quarto (72) ‘liquitque uolatile ferrum nescius’ pro «qui nesciebatur»’; ubi insolentius illud uocabulum ‘supina’ id est passiuam significatio Probum indicare uidetur qui hoc uocabulo usus est ad designandum participiale, uelut ‘cantando’, cui generi id proprium esset ut passiuam admitteret significationem uel in uerbis actiuis (Diom. GL I 342, 9 K).

GELLIUS IX 14.

Non est cur dubitemus quin Gellius hac in disputatione Caesellii Vindicis commentario usus sit quem ipse auctorem appellat § 6. Tamen eum qui diligenter hoc caput Gellii perlegerit, non fugiet id omnino conscriptum esse secundum rationem Probi. Etenim hoc capite locutio quaedam Quadrigarii defenditur a Probo simili modo atque capite I 16 (uid. p. 125); tum plane illud ex ratione Probi est quod demonstratur Quadrigarium ‘probe et Latine’ locutum esse (cf. p. 128); ueterum scriptorum ‘qui purissime locuti sunt’ (§ 21) sermo opponitur loquendi generi ‘uti nunc dicitur’ (§ 21); libri ipsi, ut uera scriptio cognoscatur, consuluntur (§ 26) neque satis habetur unum librum inspexisse, sed eiusdem scriptoris complures (§ 3 ‘etiam in Tiburti bibliotheca inuenisse nos in eodem Claudi libro scriptum e. q. s.’) id quod nos commonet de illo Suetoniano: ‘multa exempla contracta e. q. s.’ Atque ubi auctoritas eorum affertur qui (§ 7) ‘idiographum librum

primum georgicon Vergilii se inspexisse' affirmauerunt, nemo non uidet hunc esse Valerium Probum (Gell. XIII 21, 4 'nam in primo georgicon quem ego inquit (Valerius Probus) manu ipsius correctum legi'). Denique facile agnoscas Valerium Probum (cf. Gell. XIII 21, 1) qui (§ 2) 'corruptos' appellet libros in quibus scripta reperta sit forma genetiui 'faciei' quam 'ratio grammatica' exigebat.

Ex quo intellegitur Caesellium Vindicem in commentariis diligenter reddidisse doctrinam et rationem Probi. Neque miremur grammaticum, qui grande opus litterarum ordinem in disponendis rebus secutus congereret, alienis maxime copiis usum esse. Atqui cum commentarii eius inscripti sint 'lectiones antiquae' (Gell. III 16, 11: Caesellius Vindex in lectionibus suis antiquis; cf. II 16, 5; XI 15, 2; VI 2, 1) facile nobis persuadebimus edidisse Caesellium suo nomine ea quae litteris mandauerat in lectionibus antiquorum scriptorum quibus interfuerat horis postmeridianis apud Probum. Neque tamen Vindex censendus est satis habuisse uerba magistri referre, sed ex suo ingenio suaque doctrina quaedam adiecisse, sicuti eum Berytii praeceptum de duplici i scribendo amplificauisse supra intelleximus p. 101. Talibus Caesellii hoc in capite Gelliano additamentis documento sunt diuersae afferendi rationes (§ 11 Lucilius in XII, § 22 Lucilius in saturis, § 23 Lucilius in libro septimo) de quibus egit Marx ad Lucil. 269.

GELLIVS X 21.

Hosius p. XLI: 'num ex Tirone, coll. Charis. 207, 30 dubius haeret Kretzschmerus p. 63; nescio, an ex Probo, cum hic similiter agat de 'parcissime' apud Charis. 212, 7, nouam uocem miretur apud Diomed. 365, 9, de uerbis quae in usu sunt, loquatur apud Donat. Ter. Phorm. I 3, 3 ibique II 3, 25, quis ante Terentium uerbum quoddam adhibuerit, quaerat: omnia ut anonymus Gellii auctor. Adde, quod eius assecla Caper apud Charis. 207, 31 de ipso "nouissime" agit.'

GELLIVS X 24.

Ipsa quaestionis materia et natura ('die pristini' 'die crastini' et 'die quarti' et 'die quinti' qui elegantius locuti sint, dixisse, non ut ea nunc uolgo dicuntur') Probum auctorem indicant (cf. ad Gell. II 6, 6 p. 128). Nec deest locutionis Graecae (§ 1 'quod Graeci εἰς τετάρτην καὶ εἰς πέμπτην dicunt') comparatio quam Probum ubique adhibere solitum esse cognouimus. Atque quae leguntur (§ 1): 'die quarto . . . ab eruditis nunc quoque

dici audio, et qui aliter dicit, pro rudi atque indocto despicitur' apte conferuntur cum iis quae Suetonius tradit Probum, cum ueteris sermonis auctoritatem contra recentiora grammaticorum studia sustineret, obprobrium tulisse. Quae sequuntur apud Gellium (§ 1): 'Sed Marci Tullii aetas ac supra eam non, opinor, ita dixerunt' illum indicant grammaticum qui ad Phormionem II 3, 25 quaesiuit quis ante Terentium 'male loqui' pro 'maledicere' dixisset. Denique is qui ita disserit de locutione 'diequinti' (§ 1): 'diequinte enim et diequinti pro aduerbio copulate dictum est secunda in eo syllaba correpta' idem est atque is qui apud Gellium VI 7, 4 de aduerbiis áffatim et exáduersum haec disputat: 'causam esse huic accentui, quod affatim non essent duae partes orationis, sed utraque pars in unam uocem coaluisset, sicuti in eo quoque, quod 'exaduersum' dicimus, secundam syllabam debere acui existimabat, quoniam una, non duae essent partes orationis; atque ita oportere apud Terentium legi dicebat in his uersibus (Phorm. 88): "in quo haec discebat ludo exáduersum loco/tostrina erat quaedam". Itaque Valerium Probum disputationis Gellianae auctorem esse iam concesseris.

Cum iis quae § 8 exponuntur conferenda sunt uerba Quintiliani (inst. or. I 4, 7—8): 'at grammatici saltem omnes in hanc descendunt rerum tenuitatem, desintne aliquae nobis necessariae litterae ut in his 'seruus' et 'uulgus' Aeolicum digammon desideratur, et medius est quidam u et i litterae sonus — non enim sic optimum dicimus uel optimum — et (in) 'here' neque e plane neque i auditur.' Ratio unde oriatur haec e et i litterarum confusio exhibetur in Donati commentario ad Phorm. I 1, 2₂: 'HERI AD ME VENIT propter cognationem E et I litterarum non dubitauerunt antiqui et here et heri dicere et mane et mani et uespere et uesperu'.

Eadem quae infra apud Gellium (§ 8) exponuntur 'sicuti praefiscine et praefiscini, procliui et procliue atque alia item multa hoc genus uarie dixerunt' leguntur apud Charisium GL I 212, 8 K (e Romano):

'Praefiscini, Titinius in Setina (u. 109 R):

Paula mea, amabo. Pol tu ad laudem addito
praefiscini,

«ne puella fascinetur».

Praefiscine, Afranius in Consobrinis (u. 36 R):

scis habitum ita ut nunc obtinet. Praefiscine,

«per e non per i»; ubi illud «ne puella fascinetur» ipsam Probi

explicationem insolentioris illius aduerbii esse facile tibi persuadebis collato illo, quod supra legitur apud Charisium GL I 198, 12 K: 'Efflictim, Naeuius in Corollaria (u. 36 R)

nolo ego

hanc adeo efflictim amare: diu uiuat uolo,
ut mihi prodesse possit;

ubi Probus «usque donicum effligatur» (cf. p. 50 adn. 1). Illud quoque «per e non per i» apparet Probum subiecisse qui apud Gellium (§ 8) affirmat se talia in libris scriptorum obseruauisse: 'extremam istius uocis syllabam tum per e tum per i scriptam legi.'

Atque adeo statuere licet, ex quo libro Probiano Gellius et Charisius (uel eius auctor) hauserint. Nam in iis, quae proxime antecedunt apud Charisium, Probi liber «de inaequalitate consuetudinis» nominatur (Charis. 212, 7 K) atque eundem librum indicare uidentur haec Gelliana (§ 8): 'praefiscine et praefiscini... atque alia item multa hoc genus uarie dixerunt.'

Ad § 10 praeter ea quae adnotauit Hosius conferendus est Charisius GL I 81, 28 sqq. K.

GELLIVS XIII 25.

Hosius praef. p. XLVIII: 'mihi non uno loco Probus procedere uidetur. Fauorinus sectator fuisse uidetur Probi (cf. III 1, 6); fortasse eam ob causam electus est interpres.'

Fauorinum qui Graecis studiis maxime uacaret (cf. huius capitis § 4 et II 26, 7: 'lingua Graeca quam tu [Fauorinus] uidere elegisse'), qui Graeca potius utebatur oratione (XII 1, 24: 'Haec Fauorinum dicentem audiui Graeca oratione) in has subtilitates sermonis Latini descendisse non probabile est. Omnino autem congruit Probi rationi et doctrinae, quod ueram significationem manubiarum esse 'pecuniam' ostenditur exemplis ueterum allatis 'qui proprie atque signate' (32) locuti sint, neque accipiendam esse illam 'uulgariam interpretationem (§ 4) quod esse dicantur manubiae praeda' (uide p. 128).

GELLIVS XIII 27.

Hosius praef. p. XLVIII: 'Vergilium, quod Homeri elegantiam imitando non bene expresserit, Probus IX 9 increpat; simile quid hoc loco fit: an eodem auctore?'

Ad poetas illos qui aetate fere Hadriani erant et neoterici nominari solent, uocabulum νεωτερικώτερος hoc loco pertinere

non potest, quod dictum esse apparet cum reprehensione quadam, id quod minime conueniebat Gellio amico Anniani poetae neoterici. Neque uero omnino de Gellio huius obseruationis auctore cogitandum est. Etenim de Parthenio et Homero tamquam exemplis Vergilii dictum est in capitis IX 9 initio, ibique bipertita subiecta est disquisitio, cum prius Vergilius iucunde lepideque Theocriti uersus transtulisse perhibeatur, deinde improspere Homeri locum imitatus esse. Prorsus eadem ratione nunc de Vergilio poetarum Graecorum aemulo iudicium fit, cum alterum exemplum proferatur quo uenuste Parthenii uersum imitatus sit, alterum quo parum feliciter Homeri uersum transtulerit. Atque capitis IX 9 auctorem esse Valerium Probum constat, ita ut nunc quoque de Berytio recte cogitaueris. Quem praeterea indicare uidetur uocabulum illud *νεωτερικώτερος* plane usurpatum ex ratione Alexandrinorum qua designarent illi usum poetarum Homero posteriorum (K. Lehrs, de Arist. stud. Hom. ³ p. 105 sqq.). Quam iudicii formulam Probo uindicauit tamquam propriam inter Vergilii commentatores Henricus Georgii (Die antike Aeneiskritik, Stuttgart 1891 p. 569 et 387) neque errauit opinor; cf. quae disputauit p. 8 sqq. Atque ipsa figura comparatiua quae in Gellio legitur (*νεωτερικώτερος*) seruata esse uidetur in adnotatione Seruui ad Aen. VIII 731: 'hunc uersum notant critici quasi superfluo et humiliter additum nec conuenientem grauitati eius: namque est magis neotericus.'

GELLIVS XV 13.

Kretschmerus l. s. p. 86: "quaerit Gellius de uerbis communibus XV 13. Nec dissimilis rursus haec quaestio est ei, quam Diomedes instituit p. 394 P 400 K duce, ut Keilius iudicauit praef. LIV, Valerio Probo. Multo tamen magis, quam Diomedes, Priscianus cum Gellio conuenit l. VIII § 15 sqq. § 25 (GL II 379, 2 sqq. 392, 6 K). Qui pleraque ea uerba affert quae noster, et duo iisdem exemplis probat § 20 (387, 14 K) (cf. Gell. § 10) Vergiliano: 'cursusque dabit uenerata sacerdos' et § 25 (392, 21 K) (cf. Gell. § 8) Sallustiano: 'Igitur uenditis proscriptorum bonis aut dilargitis.' In fine uero huius disputationis § 26 (393, 8 K) haec addidit: 'sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum inuenies'; et paulum infra idem Kretschmerus: "Tam si nihil aliud, id certe ex Prisciano colligi potest, Probum Berytium de uerbis communibus disseruisse."

Tamen plura colligere licebit ex concentu Prisciani et Gellii. Neque enim modo eadem res utrobique tractantur, sed etiam eodem ordine saepe et iisdem uerbis:

Gellius § 8:

Sallustius quoque eodem modo 'dilargitis proscriptorum bonis' dicit, tamquam uerbum 'largior' sit ex uerbis communibus¹⁾.

Prisc. GL II 392, 21 K:

'horto' quoque pro 'hortor' (Gell. § 1) et 'largio' pro 'largior' dicebant, quae sunt communia¹⁾. unde Sallustius in I historiaram: 'igitur uenditis proscriptorum bonis aut dilargitis'.

Gellius § 9 uerbis communibus subiecit impersonalia, id quod aequae factum esse uidemus apud Priscianum 392, 16.

Ad comprobandum uerbum 'testor' idem uersus Vergilii adscriptus legitur in Gellio et in Prisciano:

Gell. § 10: . . . et 'ueneror' . . . habita sunt in uerbis communibus. Sic illa in Vergilio dicta sunt . . . (A. III 460): 'cursusque dabit uenerata secundos' et sequitur 'confiteor'.

Prisc. 387, 14:

'ueneror' . . . Vergilius in III. Aeneidos (460): 'cursusque dabit uenerata secundos'

et sequitur 'confiteor'.

Ex quo intellegitur Prisciano et Gellio eundem fontem praesto fuisse. Atque Priscianus auctores nominat Caprum Plinium Probum, ex quibus Caper ad Gellium omnino non pertinet neque magis Plinius inter auctores grammaticos Gellii reperitur, unde apparet Probum esse auctorem capituli Gelliani XV 13 et apud Priscianum partes trium grammaticorum ita definiri posse, ut Probo tribuantur ea quae in Gellio ipsa quoque reperiantur.

Hoc uero interest inter Priscianum et Gellium i. e. Probum, quod hic passiuam tantum formam uerborum afferat, in qua duplicem inesse significationem contendat, uelut 'hortor te' et 'hortor abs te' id est 'tu me hortaris' (Gell. XV 13, 1), Priscianus uero eorundem uerborum et passiuam et actiuam formam proferat uelut: 'horto' quoque pro 'hortor' (392, 21): ita ut appareat Priscianum hic non integram doctrinam Probi exhibere, sed immutatam quodammodo et retractatam.

1) in Gelliana disputatione additum illud 'tamquam uerbum "largior" sit ex uerbis communibus', suo loco est, cum tota disputatio uersetur in demonstrandis uerbis communibus; apud Priscianum uero illud 'quae sunt communia' additum eidem uerbo quod est 'largior' omnino ratione caret, cum 'horto pro hortor' et 'largio pro largior' plane non differant a uerbis quibus subiuncta leguntur: ita ut Priscianum rem et uerba descripsisse appareat.

Veram tamen doctrinam Probi Priscianus seruauisse uidetur 379, 2 sqq.: ‘. . . adhortor (Gell. hortor) . . . abutor (Gell. utor) . . . antestor (Gell. testor) uereor, . . . solor . . . consolor . . . de-largior (Gell. largior) hortor haec plerique de-ponentia esse confirmant ideo quia frequens usus eorum signi-ficationis est actiuae; communia uero esse defendit cum natura ipsius sensus, tum ueterum non improbanda auctoritas, a qua quae potuimus a diuersis colligere libris exempla proferamus. Lucilius: ‘a me auxiliatus siet’ passiuè βοηθηθείς. Cassius similiter: ‘adulatique erant ab amicis et adhortati’, ‘adulati’ κολακευθέντες ‘adhortati’ προτραπέντες. Varro: ‘tribunicio auxilio adminiculati’ βοηθηθέντες sqq.’ (usque ad 386, 14). Qua in scriptorum serie maxima pars iidem esse inueniuntur atque ii qui a Probo afferri solent, ueteres scilicet historiarum scriptores, poetae, oratores, neque quisquam allatus est Vergilio posterior¹). Modus quoque afferendi Probianus inuenitur (Marx, Prol. ad Lucil. p. LXII sqq.) uelut 380, 7: ‘Cicero Verrinarum IIII’; 382, 3: ‘Cato in IIII originum’; 382, 4: ‘Sallustius in IIII historiarum.’

Quae si recte disputauimus, de locis Prisciani et de capite Gellii ita licebit iudicare, ut Gellii caput et Prisciani GL II 379, 2 K sqq. ipsam Probi doctrinam et disputationem exhibere affirmemus, inferiore uero loco 392, 6 — 393, 10 Priscianum descripsisse disputationem Capri qui primo loco inter auctores nominetur et qui ipse Probi copiis usus esse putetur (Charis. GL I 118, 1 K; cf. G. Keil, de Flauio Capro grammatico quae-stionum capita II, diss. phil. Halens. XI p. 293 sq.).

Probus ergo, ut ex supra dictis locis colligitur, uerba com-munia esse statuebat ea quae passiuæ tantum figura declinarentur, duplicem uero significationem, et agentis et patientis, admitterent.

Atque eadem definitio legitur apud Charisium GL I 165, 4 K, nec non apud Diomedem GL I 337, 15 K.

Verum pluris interest qua proprietate quasi distinctionis nota usus sit Valerius Probus in discernendis uerbis deponentibus et communibus; nam ambigi hac de re a grammaticis solere docent uerba Prisciani 379, 12. Atque Gellius ‘testor’ et ‘inter-pretor’ hac de causa communia esse affirmat, quod illa participium

1) Unus alienus est 381, 2 Petronius, ita ut recte dubitaueris an sit Petronius Arbiter. Id quoque oportet consideremus, in uerborum enumeratione apud Priscianum composita potius afferri, cum Probus simplicia uerba attu-lerit. Tota haec de uerbis communibus disputatio Prisciani conferenda est cum simili loco GL II 566, 28—568, 6 K.

perfectum passiuam significatione figurare possint. Eadem ratio cernitur in Prisciani loco, ubi, ut euincatur agi reuera de uerbis communibus, participia perfecta passiuam uerborum afferuntur addita translatione Graeca, quo magis sensus passiuus appareat. Qua in re hoc admonendum est uersionem Graecam interpretationis loco additam Probum auctorem indicare qui idem fecisse traditur apud Diomedem 364, 28: 'manduco, manducaui (id est edo); proprie autem est quod Graeci dicunt *μασσωμαι*, hoc est identidem mando, ideoque Probus negat recte dici piscem uel aliud tenerum quid manduco sed potius edo quod significat *ἐσθίω*.'

Hoc modo cognita ratione Probi licebit diiudicare quae inter uarias uerbi deponentis definitiones, quae apud grammaticos reperiuntur, Probo adtribuenda sit: ea scilicet quae uerbum deponens id esse affirmet quod significationem deponat passiuam, quam commune uerbum praeter actiuam contineat, uelut in Diomede GL I 337, 30 K: 'placuit itaque aliis ea deponentia dici, quod una significatione deposita a communi separentur.' Sed ea quae apud Pompeium GL V 259, 37 K legitur definitio Probo adtributa, sane digna est quae diligenter consideretur: 'nam falso dicunt, habes hoc in Probo, falsum est, dicit, quod dicunt uerbum deponens esse ab eo quod non deponat r litteram quasi *κατὰ ἀντίφρασιν*, quo modo dicimus Parcas ab eo quod non parcant, quo modo dicimus lucum ab eo quod non luceat; sic et deponens. falsum est. nam incipies et commune uerbum deponens dicere: nam et commune uerbum r litteram non deponit. ergo deponens dictum est re uera ab eo quod deponat unum participium quod in dus exit.' Hanc explicationem praecedit disputatio de ui atque significatione participiorum¹⁾, participia scilicet praesentia et futura actiuae significationi, praeterita et futura passiuae significationi propria esse; unde facile intellegimus illam definitionem Pompeianam Probo adtributam, re uera omnino congruere cum illa Probianam quam exhibere Diomedem 337, 30 supra docuimus (nam idem ualere uidetur deponere significationem passiuam uel eam formam qua maxime uis atque significatio passiuam contineatur)²⁾. Hoc tantum interest, quod Probus ipse

1) huic quoque loco in codice Ambrosiano L 22 additum est nomen Probi: cf. R. Sabbadini, Studi ital. di filol. class. XI (1903) p. 179.

2) Definitionem Probianam quam Diomedes seruauit (337, 30) et illam Pompei (259, 37) re uera necessitudine quadem coniunctam esse nescio an argumento non ex ipsa re, sed aliunde petito confirmetur: utrique enim uelut exemplum subiectum est uerbum 'loquor'.

(apud Gell. XV 13, 7 sq. et Prisc. 379, 14 sq.) participium, quo significatio passiuā ostenderetur, perfectum posuerit, cum apud Pompeium participium in *du*s suppositum sit. Neque quemquam fugit cur hoc factum sit. Participium perfectum tum demum significationem passiuā ostendere poterat, cum amplioris locutionis conexu comprehensum ambiguum fieri sensum non concederet. Hac ratione usus erat Probus teste Prisciano 379, 15 (. 'veterum non improbanda auctoritas, a qua quae potuimus a diuersis colligere libris exempla proferamus') addita insuper e more suo interpretatione Graeca. Atqui cum talis usus afferendi exempla et apponendae translationis Graecae omnino abhorreret a grammaticis aetatis Pompei, participio perfecto suppositum est participium in *du*s, quod quin passiuē usurpatum esset dubitari non poterat. Pompeius igitur Probi doctrinae uestigium seruauit, sed non nihil mutatum ¹⁾.

Necdum res peracta est. Duo enim esse affirmauerat Probus (sicuti supra e uerbis Prisciani 379, 13 sqq. collegimus) quae uerbum commune ostenderent, quorum alterum esset participium perfectum passiuum de quo supra egimus, alterum 'natura ipsius sensus'. Atque hac quoque in re, scilicet quod contendat genera uerborum definienda esse et ostendi ex sensu, uerus agnoscitur Probus qualis apparet apud Seruium in adnotatione ad Aen. I 194: 'PARTITVR Sallustius (Iug. 43, 1) ait "prouincias inter se partuerant", nam et *partio* et *partior* dicimus: et est uerbum de his quae cum utramque recipiant declinationem pro nostra uoluntate, actiuā tamen sunt significationis, ut *punio* *punior*, *fabrico* *fabricor*, *lauo* *lauor*, quamquam temptauerit Probus facere differentiam inter actiuā passiuāque significationem, ut dicamus *tondeo* alterum, *tondeor* ab altero: sed hoc in aliis uerbis dicere non possumus, ut *fabrico* *fabricor*, *pasco* *pascor*; nam legimus (buc. I 54) "flore[m] depasta salicti" et (ge. III 314) "pascuntur uero dumos". Haec doctrina Probi seruata est in Seruii (Sergii) comm. in Donatum

1) Cuius rei, Pompeium uidelicet Berytii doctrinam non nunquam deprauatam exhibere, luculentissimum exstat exemplum. Nam quae apud Pompeium tradita sunt 156, 27 'et hoc Probus sequitur et ait sic 'omnia aduerbia uel omnes particulae quaecumque sunt quae habent sensum augentis, non iungenda sunt nec comparatio nec superlatiuo, sed tantum modo positiuo', haec in codice Ambrosiano quem supra dixi (p. 147 adn. 1) sic leguntur: 'Probus addit: "«satis» et «plus» abundanter etiam comparatio iungenda", sed qui uult puram orationem scribere positiuo iungat' (l. c. p. 174). Hanc obseruationem propius accedere ad rationem Probi quam illam superiorem, docet adnotatio ad Andr. I 1, 28, (uide p. 139).

GL IV 437, 25 K: 'uerba quorum declinatio in nostra potestate est sunt haec, tondeo lauo fabrico punio et reliqua. uerum tamen debemus secundum naturam actuum uel actiuum uel passiuum praesumere in declinatione ut "ego lauor" "balneum lauat"; quando ego capillos depono, ut dicam "tondeor", quando alteri capillos detraho, ut "tondeo"; ubi illud 'secundum naturam actuum . . . declinatione' omnino congruit cum illo quod apud Priscianum legitur: 'natura sensus', ita ut de Probo auctore Prisciani iam non dubitare liceat.

Huius quaestionis, scilicet de dubia uerborum positione, specimen seruatum est apud Gellium XVIII 12, quod caput Probo tribuerunt post Mercklinium et Kretzschmerum uno consensu omnes uiri docti¹).

Kretzschmerus (p. 88) 'Priscianum 396, 15 sqq. similem quaestionem e superiore nectentem cum nostro rarius conuenire' ostendit, quem concentum Gellii et Prisciani hac in quaestione de genere uerborum uestigia Probi indicare supra demonstrauius (p. 145). Deinde Kretzschmerus illam quam supra dixi adnotationem Seruui ad Aen. I 194 contulit, ubi uero miratus est uerba Seruiana apud Gellium non inueniri. Atque rem ita expediuit, ut subsidia peteret ex Nonii thesauro qui profecto (p. 470 sqq. M) uerba et Gelliana et Seruiana exhibet. Nonium uero Probo usum esse probabiliter affirmauit, eique assensus est M. Hertz, 'A. Gellius u. Nonius Marcellus', *Fleckeis. ann.* VIII (1862) p. 705, 779, 872. Ribbeckius totum caput septimum Nonii, de contrariis generibus uerborum' 'ex Valerii Probi horreis desumptum esse' sibi persuasit (*Proleg.* p. 147).

GELLIVS XV 15.

Kretzschmerus (l. s. p. 86 sqq.) Probum auctorem huius capituli esse sibi persuasit conlatis Diomede et Prisciano. Atque Diomedes GL I 377, 21 K haec tradit: 'Sunt quaedam uerba r littera terminata ex diuersa positione deriuata quae eadem sortiuntur perfecta, ut pandor panderis; exigebat analogia ut pansus dicamus, sed passus dicimus, ut Vergilius (Aen. I 480): "crinibus Iliades passis" item patior pateris passus sum. uertor uerteris uersus sum, ut (Aen. IX 609): "uersaque iuuenicum terga fatigamus hasta"

1) excepto Beckio (*Studia Gelliana et Pliniana*, *Fleckeis. annal. suppl.* XIX [1892] p. 14) qui hanc disputationem Plinio uindicat (Hosius ed. *Gell. praef.* p. LV).

item uerror uerris uersus sum, Vergilius (Aen. I 478): “et uersa puluis inscribitur hasta.” melius est enim tracta intellegere quam inuersa.’ Prisciani (GL II 519, 21 K) uero uerba sunt haec: “cedo” etiam “cessum” et “pando” “passum” faciunt, quamuis etiam a “patior” et a “pateo” “passum” dicimus. unde Vergilius in III (263):

At pater Anchises passis de litore palmis.

idem in I (480):

Crinibus Iliades passis peplumque ferebant.’

Qua ex conlotione cum appareat Priscianum haec non ab ipso Diomede accepisse, ideo quod nec praecedentia nec sequentia cum illo concinunt et uerbum ‘pateo’ et prior Vergilii uersus frustra apud Diomedem requirantur, uterque grammaticus ex eodem fonte hausisse uidetur, quem Kretzschmerus Valerium Probum esse adfirmat. Obstare autem uidebatur, quod exempla Gellii non consentirent cum exemplis Diomedis et Prisciani. Quem scrupulum euellere sibi uisus est uir doctus conlatis iis quae de eodem participio ‘passus’ tradidit Nonius p. 370 M: ‘PASSVM perpassum. Vergilius Aen. lib. I (199):

o passi grauiora!

PASSVM dispersum solutum. Vergilius Aen. lib. I (480):

crinibus Iliades passis.

Terentius in Phormione (106):

capillus passus, nudus pes, ipsa horrida.

Caecilius Synaristosis (u. 197 R):

heri uero prospexisse (se) eum (ex tegulis)

(haec nuntiasset et flammeum) expassum domi.

PASSVM extensum, patens: unde et passus dicimus, quod gressibus mutuis pedes pateant. Ennius Annalium lib. X (364):

aegro corde comis . . .

. passis late palmis pater

‘passis’ ait ‘palmis’ patentibus et extensis. Naeuius Iphigenia (16 R):

passo uelo uicinum aquilone † hortum fer foras.

Etenim cum hic grammaticus exempla Gellii Diomedis Prisciani quodammodo congestos exhiberet (praeterea, id quod Kretzschmerum fugit, Gellii uerba § 3 “passis manibus” et “uelis passis” dicimus’ repetunt Noniana exempla Naeuii [‘passo uelo uicinum e. q. s.’] et Ennii [‘passis late palmis’]), Kretzschmerus

collegit Gellii Diomedis Nonii Prisciani unum fuisse fontem illumque esse Valerium Probum. Coniectura Kretzschmeri, cui adsensi sunt Ribbeckius in Proleg. p. 147 et Steupius l. s., p. 197 ualido argumento confirmari potest.

In Seruii enim commentario ad Aen. I 480, quem uersum Nonius Diomedes Priscianus afferunt, leguntur haec: "PASSIS participium est ab eo quod est 'pandor'. ideo autem non facit 'pansus', quia plerumque 'n' quod in prima uerbi positione inuenitur, in praeterito participio non est. de qua re euphonia iudicat, ut ab eo quod est 'tundor' et 'tunsus' facit, ut (A. I 481) 'tunsae pectora palmis' et 'tusus' ut (A. I 567) 'non obtusa adeo gestamus pectora Poeni.' sciendum tamen est, licet alia euphoniae causa varientur uel in generibus uel in numeris, 'nactus' tamen et 'passus' 'n' penitus numquam accipere."

Quam disputationem integram Valerio Probo adtribuendam esse, argumentis confirmatur his: non definitiones grammaticorum, sed «euphonia iudicare» de recta dicendi ratione affirmauerat Probus apud Gellium XIII 21, quod caput totum est de uariis nominum generibus quae singulis locis pro sonus uocalitate praeferenda sint; atque haec Probi ratio aperte relata est uerbis Seruianis 'licet alia euphoniae causa uariantur uel in generibus uel in numeris'. Denique ut omnis remota sit dubitatio, ea quae leguntur in fine: 'nactus' tamen et 'passus' 'n' penitus numquam accipere, sententiam Probi esse confirmatur a Prisciano GL II 513, 7 K: 'nanciscor etiam nactum facit absque n, ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet.'

Confirmatum igitur est Seruii Gellii Nonii auctorem esse Valerium Probum eodemque usos esse Diomedem et Priscianum. Iam quid inde efficiatur demonstramus. Etenim in Donati commentario ad uersum Phormionis I 2, 56, quem uersum Nonius et Gellius testes sunt Probum exempli loco attulisse, adnotata leguntur haec: '1 CAPILLVS PASSVS singularem numerum pro plurali posuit. Sic et alibi (Heaut. II 3, 49) 'capillus pexus, prolixus, circum caput reiectus negligenter' 2 PASSVS temere dispersus, ut pars magna. a Graeca oratione profluxit haec dictio.' Vbi illud 'temere dispersus' ex eodem fonte fluxisse apparet atque illud Nonianum 370, 12 M 'PASSVM dispersum'; atque plane illud 'a Graeca oratione profluxit haec dictio' redolet Valerium Probum, quem ubique similitudinem dictionum Graecarum et Latinarum obseruauisse iterum atque iterum cognouimus. Atque illa superiora 'singularem numerum pro plurali posuit' mire con-

gruunt cum iis quae in ipsa illa adnotatione Seruii ad Aen. I 480, de qua supra (p. 151) disputauimus, leguntur: 'alia euphoniae causa uariantur uel in generibus uel in numeris', ad quae propius accedunt illa apud Donatum 5 'CAPILLVS PASSVS NVDVS PES facetius, quam si pluraliter dixisset. Vergilius (Aen. V 402—3) "quibus acer Eryx in proelia suetus ferre manum"; ad quem uersum Seruius haec adnotauit: 'FERRE MANVM contendere: nam utraque manus armatur. et manum pro manus'. Eodemque spectant quae in Seruio ad Aen. I 44 adnotata sunt 'Probus et "tempore" legit, ut ipse (Aen. IX 585) "liquefacto tempora plumbo" et singulare nomen pro plurali.'

Id quoque obseruandum est, his locis omnibus agi de partibus corporis, de capillo, pede, manu, tempore; ita ut non dubitandum sit quin omnes hae obseruationes ad eundem grammaticum referendae sint quem Valerium Probum esse cognouimus.

Sed maioris etiam momenti sunt quae sequuntur. Etenim apud Nonium (p. 370 M) iis quae de participio 'passum perpassum' et 'passum dispersum' afferuntur, inclusa est obseruatio haec: 'PASSVM dicitur genus liquoris, quod ex uua passa cogitur. Vergilius in Georg. lib. II (93):

'et passo sithia utilior.'

id est: auctor Nonii homonymum nomen contulit homonymo participio. Quae obseruatio cum omnino ab argumento non aliena sit, immo necessitudine quadam, similitudine scilicet figurae, coniuncta sit cum reliquis, probabiliter conieceris eam non temere a librario quodam disputationi immisam, sed ad eundem auctorem referendam esse atque reliqua, Valerium dico Probum.

Quam coniecturam argumento probare licet. Nam Valerium Probum eiusmodi homonyma sedulo obseruauisse, supra demonstratum est ad Gell. cap. VII 16 p. 138.

Id quoque, si Gellii Nonii Seruii Diomedis Prisciani locos quos omnes doctrinam Probi exhibere intelleximus consideraueris, admonere oportet neminem hac in re exscripsisse alterum, sed unumquemque Probum ipsum adiiisse uideri. Apparet praeterea hanc obseruationem quasi fundamentum subesse: eandem participii perfecti formam nonnunquam dici a diuersa positione uerborum differentium. Atque suspicari potuerit quispiam non satis habuisse Probum id genus obseruationem fecisse in uno uerbo 'passus', sed alia quoque uerba in comparisonem uocauisse. Tale quid iam Ribbeckius coniecisse uidetur cum dicat in Prol. ad Verg. p. 147: 'de quo (participio 'passus') certe in

grammatico aliquo commentario, non ubi interpretis munere fungebatur, egisse putandus est.

Quae uiri docti opinio mirum in modum comprobatur conlatis tribus locis Charisii Diomedis Macrobiani, ubi haec de participio 'passus' obseruatio coniuncta legitur cum aliis uerbis quae eandem proprietatem exhibere uidentur.

Atque quae apud Macrobius in excerptis GL V 606, 35 K leguntur, sunt haec: 'Frigeo frixi facit a secunda coniugatione, frigo uero frixi a tertia, unde frixum fritorium, id est calefactorium. similiter aceo aces acui. unde inchoatiuum acesco, et acuo acuis acui; fero tuli et tollo tuli, sustulo sustuli adtulo adtuli: Accius uero in Andromeda (u. 102 R) etiam ex eo quod est tulo quasi a themate tulat declinat 'nisi quod tua [facultas nobis tulat operam': uertor et uerror uersus sum; patior et pandor passus sum, non pansus: Vergilius (Aen. I 480; II 403) 'passis crinibus': explico [explicui, quia plico plicui; sed Cicero pro Tullio 'explicauit' ait.

Diomedis uerba sunt haec (GL I 371, 27 K): 'Sunt quaedam perfecta a diuersis instantibus deriuata, ut aceo aces acui, acuo acuis acui; frigeo frigens frixi, frigo frigens frixi; lugeo luges luxi, luceo luces, luxi; fulcio fulcis fulsi, fulgeo fulges fulsi; cerno cernis creui, cresco crescis creui; paneo panes pauis, pasco pascis pauis [pauio pauis pauis]; sisto sistis steti, sto stas steti; consisto consistis constitui, consto constas constitui; fero fers tuli (et tetuli dicitur, ut Terentius (Andr. IV 5, 13):

huc tetulisset pedem)

tollo tollis tuli, quod in consuetudine sustuli facit; eius tamen perfecti instans apud ueteres sustulo dicitur: pendo pendis pependi, pendeo, pendes, pependi; conperio conperii, conperio conperii. sed accentu discernitur sensus. acuto enim accentu profertur, quotiens pro eo accipitur quod est rescii: conperieram enim facit. conperii uero circumflexo accentu declinatur, quotiens pro eo accipitur quod est cum alio perii: conperieram enim facit.'

Atque adiungenda sunt hic quae proferuntur GL I 377, 21 K de uerbo 'passus' et 'uersus' quae supra descripta sunt p. 149. Charisii locus 247, 22 sqq. parum a Diomede differt.

Quibus in disputationibus praeter illa quae de participio perfecto 'passus' referuntur, alia uestigia Probi apparent. Velut ad illud Diomedis 371, 29 'fulcio fulcis fulsi, fulgeo fulges fulsi' optime quadrant quae Priscianus de Probo tradit 539, 1: "fulcio fulsi" quod et Probo placet, quamuis alii differentiae causa "fulxi"

posuerunt; e quo intellegitur qua ratione uersatus sit Probus in hac quaestione, obstitisse scilicet eum differentiarum auctoribus, quorum subtilissimus erat Plinius teste Charisio. Deinde cum legeris illud Charisii 247, 29 et Diomedis 372, 4 'eius tamen perfecti instans apud ueteres sustulo dicitur' menti succurrit illud Sergii (in explanatione Donati GL IV 557, 19 K) 'Probus non posuit «suffero»'¹). Et omnino apud Macrobius 606, 38 ratio, qua disputatum est de uerbo 'tollo' allato exemplo Accii, prorsus Probo conuenit. Ceterum ea quae praecedunt in Macrobio 'fero tuli et tollo tuli, sustulo sustuli adtulo adtuli,' pariter proferuntur apud Diomedem 380, 11 in capite 'de his quae ex se non habent perfecta sed ex proximis', quod lemma aperte indicat fontem, unde tota haec quaestio quam tractamus hausta sit, scilicet ex Valerii Probi libro 'de dubio perfecto'. Totam uerum partem artis Diomedis, quae est de uerbo, secundum Probum conscriptam esse suspicatus est argumentisque probauit Henr. Keil GL I praef. p. LIV.

Atque adeo quae de simili perfecto uerborum 'frigeo' et 'frigo' proferuntur, ut Probo tribuamus argumenta sunt quae suadent. Nam Probum egisse de uerbis 'frigeo' et 'frigo' inde efficitur quod ratio qua de his uerbis actum est apud Nonium — quem Valerio Probo usum esse supra cognouimus (p. 149) — plane cum ea consentit quam Berytio propriam fuisse compertum habemus: distinxisse scilicet eum significationes dictionum earumque uim secundum accentus naturam.

Etenim uerba 'frigeo' et 'frigo' tribus locis Nonii inueniuntur qui tamen ita inter se cohaerent, ut appareat Nonium secundum argumenta dispersisse locos quos in auctore coniunctos inuenerat. Quorum primus est hic (p. 7 M.):

'FRIGERE est, et FRIGVTTIRE et FRITINNIRE sussilire cum sono uel erigi et excitari, quod quaecumque friguntur uel frigent nimio calore uel frigore, cum sono sussiliunt.

Plautus Casina (267):

. . . nam quid friguttis? quid istuc tam cupide cupis?

Varro Virgula Divina (565 Buech.):

et pullos peperit fritinientis.

1) et sequitur 'capio facit suscipio'. Toti loco conferas quae Cornutus exhibet (apud Cassiodor. GL VII 151, 20 K): 'est ubi b, quod uix credibile est, in s cogatur, ut suscipio sustinere, suspendere, suscitare, et quod antiqui dixerunt sustollere, nos praeterito sustuli.'

idem "Ovos λίρας (365 Buech.):

saepe totius theatri tibiis crebro flectendo
commutare mentes frigi animos eorum.'

ubi ita disputatum est de uerbis 'frigeo' et 'frigo', ut appareat ueram inter ea non intercedere differentiam. Id tantum demonstratur, cum significatione uerbi coniunctam esse aut sensum frigoris aut caloris.

Audi nunc quae porro traduntur apud Nonium (p. 110 M):
FRIGET frigidum est. Vergilius lib. VI (219):

'corpusque lauant frīgētis et unguunt.'

Terentius Phorm. (994):

abi, tange. si non totus frīget, me enica.'

(p. 308 M): 'FRIGIT correpta syllaba significat erigit.
Accius Meleagro (461 R):

frigit fricantem corpus atrum occulte abstruso in flumine.

idem in eadem (443):

frīgit

saetas, rubore ex oculis fulgens flammeo.

Frigere est et friggere cum sono sussillire. Plautus Casina
(267):

nam quid frīguttis? nam quid istud cupide petis?

Afranius Priuigno (245 R):

occasione capta mulier inuolat
in collum, plorat, orat: occurrit nepos
pausillus; neptis porro de lecto frīgit.'

Priore loco numeri docent litteram 'i' natura longam circumflexe pronuntiandam esse, in uerbo 'frigit' uero auctor Nonii ipse dicit correptam esse syllabam et propterea significatum mutari. Exempla autem posuit talia quibus procul dubio appareat fri-syllabam breuem esse, scilicet cum posita reperiatur in paenultima senarii quae sola est quam nunquam produxerunt Latini. Grammaticum agnoscis metricae rationis, quam sequebantur ueteres fabularum poetae, peritum. Atque, praeter Valerium Probum, alium grammaticum docuisse accentu sensum discerni, traditum non est; immo obstiterunt grammatici hac in re Berytio (cf. Seruii adn. ad Aen. III 3).

Atque rursus consideres quae Macrobius tradit: 'Frigeo frixi facit a secunda coniugatione, frigo uero frixi a tertia, unde frixum frixorium, id est calefactorium', ubi aperte ea quae in Nonio

indicata erat distinctio, frigoris scilicet et caloris, demonstratur. Atque eiusmodi accentus et mensurae distinctiones ab hac quaestione de simili perfecto omnino non alienas esse docet ipse quoque hic Diomedis [locus, de quo agimus (372, 4), ubi simile perfectum 'conperii' a uerbis 'conpereo' et 'conperio' dictum distinguitur accentu.

Iam concedes, recte nos iudicauisse haec Diomedis et Macrobbii excerpta ex Valerii Probi Berytii commentario et doctrina sumpta esse. At Charisius, qui locos apud Diomedem dispersos omissis exemplis ueterum in unum contractos exhibet, qui illud 'pansum' quod analogia exigebat (Diom. GL I 377, 22 K), Probus uero admittere noluit, accepit, manum posterioris aetate grammatici ostendit qui Probi copias retractauerit.

MAR
SVET
Bery
contul
gramm
omnin
atque
temni
esse a
exemp
rauit
hic no
quam
et alie
horis
sermo
de qu
medio
2 cent
Fun
turiam
Schott
M V
matic
gebrau
GEL
lustre
(uide
GEL
scio,
(uide
GEL
suam
GEL
homin
callid
GEL
homin
deme
HIE
cau.
erudi
in no

TESTIMONIA VITAE

MARTIALIS III 2, 12: Illo uindice nec Probum timeto. 1. (STEVV

p. 68)
2. (119)

SVETONIVS de gram. et rhet. c. 24: M. Valerius Probus Berytius diu centuriatum petit, donec taedio ad studia se contulit. legerat in prouincia quosdam ueteres libellos apud grammaticam, durante adhuc ibi antiquorum memoria necdum omnino abolita sicut Romae. hos cum diligentius repeteret⁵ atque alios deinceps cognoscere cuperet, quamuis omnes contemni magisque obprobrio legentibus quam gloriae et fructui esse animaduerteret, nihilominus in proposito mansit; multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere et adnotare curauit soli huic nec ulli praeterea grammatices parti dedit.¹⁰ hic non tam discipulos quam sectatores aliquot habuit. numquam enim ita docuit ut magistri personam sustineret; unum et alterum uel cum plurimos tres aut quattuor postmeridianis horis admittere solebat cubansque inter longos ac uolgares sermones legere quaedam idque perraro. Viuus pauca et exigua¹⁵ de quibusdam minutis quaestiunculis edidit, reliquit autem non mediocrem siluam obseruationum sermonis antiqui.

2 centuriatum W (*Vindobonensis*; cf. p. 2 adn.) M(*arcianus*) F(*lorentinus*) cf. Funaioli, *Studi ital.* XVII (1909) 265 sqq.; centuriatum I (*Vatic.* 1518) centuriam N(*eapol.*) || petit W petiit rel. 5 cum om. O(*tobonianus*) || repeteret Schottus (cf. M. Ihm, *Rh. M.* 61, 549) recepere O repetere rel. 10 grammatices M (*Vatic.* 1862) L(*eidens.*) G(*udian.*) gramatices I grammatices W grammatices NO 15 Viuus scripsi unius W nimis rel.; M. Ihm l. s. p. 552: 'nimis gebraucht sonst Sueton nicht'.

GELLIVS I 15, 18: Valerium Probum grammaticum illustrem . . . breui antequam uita decederet, sic legere coepisse . . . (*uide frgm.* 1). 3. (77)

GELLIVS III 1, 6: Nunquam, inquit Fauorinus, quod equidem scio, tam inportuna tamque audaci argutia fuit noster Probus (*uide frgm.* 2). 4. (131)

GELLIVS IV 7, 1: Valerius Probus grammaticus inter suam aetatem praestanti scientia fuit. 5. (132)

GELLIVS IX 9, 12: . . . ex Valerii Probi discipulis, docti hominis et in legendis pensitandisque ueteribus scriptis bene callidi (*uide frgm.* 4). 6. (77)

GELLIVS XIII 21, 8: Tum Probus iam commotior . . . 7. (77)

9: His tum uerbis Probus et hac fini hominem dimisit, ut mos eius fuit erga indociles, prope inclementer (*uide frgm.* 66).

HIERONYMVS ad a. Abr. 2072 (= 56 p. Chr.) (Euseb. chron. can. ed. A. Schoene, Berol. 1866 p. 155): Probus Berytius eruditissimus grammaticorum Romae agnoscitur. 8. (61—67)

in marg. cod. Bernens. (s. VII): alter grammaticus; cf. Steup l. s. p. 61 adn.

9. (STEVV p. 71) AVSONIVS opusc. III 18 p. 2 Schenkl:
 nomen grammatici merui,
 Non tam grande quidem, quo gloria nostra subiret
 Aemilium aut Scaurum Berytiumue Probum.
 3 beritique *V(ossianus)* Berytiumque *ed. Lugdunens. 1558 vulgo*, Berytiumue
Tollius.
10. (71) AVSONIVS opusc. XVI 16, 12 p. 66 Sch.:
 Scaurum Probumque corde callens intimo.
11. (71) AVSONIVS opusc. XVI 21, 7 p. 68 Sch.:
 grammaticae ad Scaurum atque Probum.
12. (112) MACROBIVS V 22, 9: in hoc loco Valerius Probus, uir
 perfectissimus, notat nescire se hanc historiam siue fabulam
 quo referat auctore. quod tantum uirum fugisse miror.
13. (189) CASSIODORVS GL VII 214, 23 K: Sed quamuis auctores
 temporum superiorum de arte grammatica ordine diuerso
 tractauerint suisque saeculis honoris decus habuerint, ut Pa-
 laemon, Phocas, Probus et Censorinus, nobis tamen placet
 in medium Donatum deducere, qui et pueris specialiter aptus
 et tironibus probatur accommodus.
14. (189) EXCERPTA EX COMM. IN DONATVM GL V 326, 18 K:
 Sed in artibus minoribus quasi docere uolens interrogat Do-
 natus, cuius auctoritatem ostendit Pompeius dicendo 'alii' inquit
 'scripserunt artem, sed illos non putes intellegere, nisi a Do-
 nato sumpserint principium, ut est Probus et Caesar et alii,
 sed a Donato sumpserunt principium.
 6 sed (illos qui) a Donato scribendum esse uidetur.
15. (201) [BOETHII] de disciplina scholarium (Migne LXIV 1225):
 Secundum laboriosi certaminis stat aedificium, in Probi Di-
 dymique traditionibus, necnon aliorum philosophorum, quos
 uenerabilis commendat auctoritas.
16. (201) EVGENIVS praef. ad Hexam. Dracontii, Mon. Germ. Hist.
 auct. antiq. XIV (1905) p. 27/29:
 Quod si Vergilius et uatum summus Homerus
 Censuram meruere nouam post fata subire,
 Quam dat Aristarchus Tuca Variusque Probusque:
 Cur dedignetur, quod iussus principe magno
 Paruula praeparui Draconti carmina libri
 Paruulus Eugenius nugarum mole piauī? ¹⁾

1) cf. Wigbodi et Iacobi uersus ad Carolum, Mon. Germ. Hist. Poet.
 Lat. aevi Carolini tom. I (1881) p. 97:

Quod si Virgilius et uatum summus Homerus
 Censuram meruere nouam post facta subire
 Quam dat Aristarchus Tuca Variusque Probusque
 Cur dedignetur, quod iussus principe magno
 Paruula excerpti Mosaica carmina bibli
 Wigbodus humilis nugarum mole piauī?

ALCVINI CARMINA, uersus de sanctis Euboricensis ecclesiae 17. (*deest*)
1553 sqq. (Mon. Germ. Hist. Poet. Lat. aevi Carolini tom. I
[1881] p. 204):

Quae Maro Virgilius, Staius, Lucanus et auctor,
Artis grammaticae uel quid scripsere magistri;
Quid Probus atque Focas, Donatus Priscianusue
Seruius, Euticius, Pompeius, Comminianus.

CODEX PARISINVS 7560 saec. XI f. 10 (Keil GL IV praef. 18. (STEUP
p. XXIV): p. 189)

.. sciat se Prisciani uel Donati, Probi uel Audacii, Velii
Longi uel Romani, Flauiani uel Euticis, Victorini uel Focae,
Asporii uel Pompei latus laniare.

PRISCIANVS GL III 13, 14 K: dicimus enim 'uel Probus uel Donatus, (189)
et Priscianus et Theoctistus, et ego et ille, uel mei uel tui e. q. s.'

PRISCIANVS GL III 142, 27 K: .. dicimus enim 'scribit Probus uel (189)
Seruius'.

TESTIMONIA SCRIPTORVM

SVETONIVS de gram. 24 = *testim.* 2. 19. (95)

FRAGM. PARIS. DE NOTIS GL VII 534, 4 K: his solis 20. (48)
in adnotationibus Ennii Lucilii et historicorum usi sunt Varro
S. Ennius Aelius aequae et postremo Probus, qui illas in
Virgilio et Horatio et Lucretio apposuit, ut Homero Aristarchus.
2 varros hennius haelius aequae *cod.* Varro S. Ennius Aelius aequae *Frid.*
Marx Proleg. ad Lucil. p. CXXXI.

534, 17: ✕ asteriscum Aristophanes apponebat illis 21. (48 sq.)
locis quibus sensus deesset, Aristarchus autem ad eos qui in
hoc puta loco positi erant, cum aliis scilicet non recte pone-
rentur. item Probus et antiqui nostri.

535, 1: ✕ — asteriscus cum obelo propria nota 22. (48 sq.)
est Aristarchi; utebantur ea in his uersibus qui non suo loco
positi erant. item antiqui nostri et Probus.

535, 7: > diplen aperistikton . . . usus et in multis 23. (48 sq.)
Aristarchus, nunc ea quae praeter consuetudinem tam uitae
nostrae quam ipsius poetae apud eum inuenirentur adnotans,
nunc proprias ipsius figuras, interdum ea in quibus copiosus
est, rursus quae semel apud eum ponerentur. similiter in
nostris auctoribus Probus.

GELLIVS IV 7: De epistula Valerii Probi grammatici ad 24. (132)
Marcellum scripta super accentu nominum quorundam Poeni-
corum.

GELLIVS XV 30, 4: Ego cum Probi multos admodum 25. (131)
commentationum libros adquisierim, neque scriptum in his
2 commentariorum *cod. Magliabech. m. 2.*

- inueni (petorritum) nec usquam alioqui Probum scripsisse credo.
26. (STEV P
p. 133) GELLIVS XVII 9, 5: Est adeo Probi grammatici commen-
tarius satis curiose factus de occulta litterarum significatione
in epistularum C. Caesaris scriptura.
3 in om. γ (archetyp. codicum Magliab. = N, Reg. 597 = O, Reg. 1646 = II,
Voss. = X) || scripturarum ω (= consens. codicum Palat.-Vat. = A, Paris.
= P, Lugd. = R, Vatic. = V), corr. Hertz.
27. (190) CHARISIVS GL I 212, 7 K: Probus de inaequalitate con-
suetudinis . . . (uide frgm. 76).
28. (180) SERVIVS ad Aen. VII 421: Probus de temporum conexione
libellum composuit (uide frgm. 116).
29. (169) POMPEIVS GL V 165, 16 K: scripsit autem ad hunc locum
(de generibus) Probus unum librum.
30. (190) PRISCIANVS GL II 171, 14 K: Supra dictorum tamen
nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis
generibus inuenis (uide frgm. 74).
31. (185) POMPEIVS GL V 182, 30 K: habes unum librum Probi de
isto genetiuo (Graeco) scriptum; tantummodo hoc solum tractat
in illo libro, de hoc casu.
2 tantummodo — de hoc casu om. B = Paris., add. corrector.
32. (191) PRISCIANVS GL II 541, 19 K: sic enim Probus de dubio
perfecto tractans ostendit Naeuium protulisse (uide frgm. 99).
33. (99) RVFINI comm. in metra Terentii GL VI 565, 1: Mensuram
esse in fabulis [hoc est metron] Terentii et Plauti et ceterorum
comicorum et tragicorum dicunt hi: Cicero, Scaurus, Firmianus,
Vindex, Cinna, Sisenna, Diomedes, Albinus, Quintilianus,
Sosipater Charisius, Helenius, Asper, Fl. Caper, Arruntius,
Probus, Plinius, Euanthius, Sacerdos qui et Donatus, Iuba
(cf. p. 83 et 84).
34. (134) CODEX AMBROSIVS I 115 (s. XV/XVI)¹): incipit
Valerii Probi de iuris notarum (GL IV 267 K: M. Valerii
Probi de litteris singularibus fragm. ed. Theodorus Mommsen)²).
35. (125) CODEX LEIDENSIS bibl. publ. 78 (s. X): Vita Aulis Persi
Flacci de commentario Probi Valeri sublata (Suetonius de
poetis XXXIIa p. 72 Reiff.)
36. (175) CODEX BOBIENSIS nunc Vindobonensis 16 (s. VII/VIII):
incipit Valerii Probi de nomine (GL IV 207 K).
37. (112) CODEX PARISIVS 8209 (s. XV): Valerii Probi in
Bucolica et Georgica Vergilii commentariolum (Appendix
Seruiana ed. Herm. Hagen, Lips. 1902 p. 323).

1) sic Mommsen, codicem aliquanto vetustiore esse docuit R. Sabbadini (Studi ital. di filol. class. XI [1903] p. 294).

2) adscripsi editionum locos, ubi reliquorum codicum inscriptiones exscriptae reperiuntur.

CODEX MONTEPESSVLANVS 306: 'incipiunt Differentiae Probi Valerii' (cfr. GL IV 199 K et Guendalinus Foerster, Stud. Vindob. XIV [1892] p. 278 sqq.). DVBIA 38. (STEVV p. 170)

INDICES BYBLIOTHECARVM (cf. Manitius, Philologisches aus alten Bibliothekskatalogen bis 1300. Rh. M. 47 suppl. [1892] p. 51): 39. [deest]

Reichenau a. 821 (Becker, catologi bibl. ant. nr. 6): 405 Audacis Honorati Asperi . . F . . Pompei Probi . . . ni in uol. I¹).

Murbach saec. IX—X nr. 294: grammaire de Probus.

Bobio s. X—XI (Becker 32): 381 ff. libros Valerii Probi III²).

Toul s. XI (B. 68): 234 Pomponius de grammatica cum Valerio Probo et Sergio.

Corbie s. XII (B. 136): 301 Diomedes Probus grammatici.

MONTEFALCONIVS bybl. uol. II p. 1334 in indice codicum bybliothecae Pontiniacensis (Keil GL IV praef. XXIV): Probus de ratione temporum (cf. p. 83). FALSA I. (180)

RVFINI comm. de numeris orator. GL VI 573, 22 K: De compositione et numeris et pedibus oratoriis, ut Cicero dicit, isti scripserunt apud Graecos . . . latine de numeris hi: Cicero, Victorinus, Eusebius, Terentianus, Varro, Probus, Charisius, Diomedes, Quintilianus, Donatus, Victor, Seruius (cf. p. 83). II. (184)

577, 8: Probus de numeris oratoriis sic dicit: Trochaeus et paeon tertius faciet illam structuram Tullio peculiarem 'esse uideatur' (= cathol. GL IV 42, 10 K) (cf. p. 83). III. (184)

POMPEIVS GL V 165, 16 K: iste institutor (Probus) iam artem scripsit, non scripsit perfectis, sed ad eos qui uolunt se perfectos esse. IV. (169)

CLEDONIVS GL V 45, 18 K: Probus in arte quam de regulis scripsit hic later posuit. V. (184)

PRISCIANVS GL II 218, 22 K: Probus in libro qui est de catholicis nominum VI. (186)

283, 7 K: Probus in institutis artium VII. (187)

301, 14 K: Probo tamen et quibusdam aliis artium VIII. (187)

scriptoribus

Praeterea nomen Probi passim occurrit in scholiis Vallae ad Iuuenalem; ex commentario Pomponii Sabini ad Vergilium quibus locis additum est Probi nomen, eos exscripsit W. H. D. Suringar, Historia critica scholiastarum Latinorum, Lugd. Bat. 1834 II p. 28 sqq.

1) Quod uolumen non iam enumeratum legitur in „Die Reichenauer Handschriften I, die Pergamenthandschriften 1906 ed. Alfr. Holder.“

2) Qui libri non enumerati sunt in inuentario anno 1461 confecto (edito ab Amedeo Peyron in praef. M. Tulli Ciceronis orationum, Stuttgartiae et Tubingae 1824).

FRAGMENTA

Fragmentis nomine M. Valerii Probi ornatis certeque Berytio tribuendis subiuncta sunt, sed spatio secreta et numeris Romanis insignita, ea quae Probi nomine destituta ad hunc grammaticum referenda esse uidebantur. Atque adscriptae sunt praemissae dissertationis paginae, ubi de probabili Probi auctoritate disputatum est. Ubi Probus auctor uisus est totius cuiusdam capitis Gelliani, hoc non integrum descriptum est, sed inscriptionem capitis relatum esse satis habebatur.

A. AD AVCTORES

I. AD SALLVSTIVM

1. (STEVV P. 130) GELLIVS I 15, 18: Valerium Probum grammaticum illustrem ex familiari eius, docto uiro, comperi Sallustianum illud (*Cat. V 4*): 'satis eloquentiae, sapientiae parum', breui antequam uita decederet, sic legere coepisse et sic a Sallustio relictum affirmasse: 'satis loquentiae, sapientiae parum', quod 'loquentia' nouatori uerborum Sallustio maxime congrueret, 'eloquentia' cum insipientia minime conueniret.
5 eloquentiae ω (*cf. ad testim. 25*) corr. ς (= *cod. deteriores*). *cf. p. 43.*
2. (131) GELLIVS III 1, 5: Vix ego haec dixeram cunctabundus, atque inibi quispiam de sectatoribus Fauorini, qui uidebatur esse in litteris ueterator, 'Valerium' inquit 'Probum' audiui hoc dicere: usum esse Sallustium (*Cat. XI 3*) circumlocutione quadam poetica et, cum dicere uellet hominem auaritia corrumpi, corpus et animum dixisse, quae duae res hominem demonstrarent; namque homo ex anima et corpore est'. 'Nunquam', inquit Fauorinus, 'quod equidem scio, tam inportuna tamque audaci argutia fuit noster Probus, ut Sallustium, uel subtilissimum breuitatis artificem, periphrasis poetarum facere diceret.'

II. AD VERGILIVM

3. (111) SERVIVS (auct.) ad buc. VI 76 (= Gell. II 6, 5—9): DVLICHIAS VEXASSE RATES . . 'uexasse rates' autem per tapinosin dictum est; nam non uexauit, sed euertit. quod Probus uult hac ratione defendere dicens 'uexasse' uenire ab eo quod est 'ueho uecto uexo', ut 'uexasse' sit portasse et sine dubio pro
-
- I. GELLIVS IV 15
Defensa a culpa sententia ex historia Sallustii, quam iniqui eius cum insectatione maligni reprehenderint. (*p. 131.*)
 - II. GELLIVS X 26
Inscite ab Asinio Pollione reprehensum Sallustium, quod transfretationem 'transgressum' dixerit et 'transgressos' qui transfretassent. (*p. 132.*)
 - III. (111) GELLIVS II 6
Quibus uerbis ignauiter et abiecte Vergilius usus esse dicatur et quid his qui improbe id dicunt, respondeatur. (*p. 127.*)

arbitrio suo euertisse. 'uexasse' est enim uis quaedam alieni arbitrii; non enim sui potens est qui uehitur. bene ergo inclinatum uerbum est; nam qui fertur et raptatur et huc atque illuc distrahitur 'uexari' proprie dicitur: Cato in oratione de Achaeis (p. 55, 8 Iord.): 'cumque Hannibal terram Italiam⁵ laceraret atque uexaret', Cicero in Verrinis (II, IV 55, 122): 'sed ut a barbaris praedonibus uexata esset', item (II, IV 47, 104): 'di ablati, fana uexata, direptae urbes reperiuntur'.

7 uexata esse uideatur Cicero 8 nudatae urbes Cicero

GELLIVS IX 9, 12: Et quoniam de transferendis sententiis loquor, memini audisse me ex Valerii Probi discipulis, docti hominis et in legendis pensitandisque ueteribus scriptis bene callidi, solitum eum dicere nihil quicquam tam inprospere 3 et intelligentis II (Regimens. 1646) 4 callidis δ = archetyp. codicum Paris. 8664 (Q), Voss. (Z), Bern. (B).

4. (STEVV
p. 106)

SERVIVS (auct.) ad Aen. X 314 (= Gell. II 6₂₀₋₂₄): 'squalentem auro' splendentem auro. et significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti: squalere enim dictum a squamarum crebritate atque asperitate, quae in serpentum pisciumue coriis uisuntur: alibi (XI 770) 'quem pellis aenis in plumam squamis auro conserta tegebat' et alibi (XI 487) 'iamque adeo rutilum thoraca indutus aenis horrebat squamis.' quidquid igitur inculcatum obsitumque aliqua re erat squalere dicebatur. (p. 128 adn. 2.)

IV.

GELLIVS IX 9:

Quis modus sit uertendi uerba in Graecis sententiis; deque his Homeri uersibus, quos Vergilius uertisse aut bene apteque aut inprospere existimatus est. Quando ex poematis Graecis uertendae imitandaeque sunt insignes sententiae, non semper aiunt enitendum, ut omnia⁵ omnino uerba in eum in quem dicta sunt modum uertamus. Perdunt enim gratiam pleraque, si quasi inuita et recusantia uiolentius transferantur. Scite ergo et considerate Vergilius, cum aut Homeri aut Hesiodi aut Apollonii aut Parthenii aut Callimachi aut Theocriti aut quorundam aliorum locos effingeret, partim reliquit, alia expressit. Sicuti nuperrime aput mensam cum legerentur utraque simul Bucolica Theocriti et Vergilii, animaduertimus reliquisse Vergilium, quod Graecum quidem mire quam suaue est, uerti autem neque debuit neque potuit. Sed enim, quod substituit pro eo quod omiserat, non¹⁵ abest quin iucundius lepidiusque sit (Theocrit. V 88, Verg. ecl. III 64):

V.

βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἢ Κλεαρίστια
τὰς αἶγας παρελῶντα καὶ ἀδύ τι πομπυλιόζει, —
malo me Galatea petit, lasciuia puella,
et fugit ad salices et se cupit ante uideri.

20

4 mutandaeque cod. deteriores 8 molestius II 10 effingit (it ex et) Q (Paris. 8664) 11 partim Q partem ω 14 tam mire B(ernensis) 15 sustinuit B 19 παρελῶντα Theocr. uulg. παρελῶντα et παρελαῖντα uar. lect. ap. Theocr.

Vergilium (*Aen.* I 498) ex Homero uertisse quam uersus hos amoenissimos, quos de Nausicaa Homerus fecit (*Od.* VI 102):

5 οἷη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὐρεος ἰοχέαιρα,
ἢ κατὰ Τηγετον περιμήκετον ἢ Ἐρύμανθον
τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείης ἐλάφοισιν·
τῇ δέ θ' ἅμα νύμφαι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
ἀγρονόμοι παίζουσι· γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ·
πασάων δ' ὑπερ ἢ γε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι, —

10 qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi
exercet Diana choros quam mille secutae
hinc atque hinc glomerantur Oriades. illa pharetram
fert humero gradiensque deas supereminet omnis.
Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus.

15 Primum omnium id uisum esse dicebant Probo, quod apud
Homerum quidem uirgo Nausicaa ludibunda inter familiares
puellas in locis solis recte atque commode confertur cum
Diana uenante in iugis montium inter agrestes deas, nequa-
quam autem conueniens Vergilium fecisse, quoniam Dido
20 in urbe media ingrediens inter Tyrios principes cultu atque
incessu serio, instans operi, sicut ipse ait (*Aen.* I 504),
regnisque futuris, nihil eius similitudinis capere possit, quae
lusibus atque uenatibus Dianae congruat; tum postea, quod
Homerus studia atque oblectamenta in uenando Dianae honeste
25 aperteque dicit, Vergilius autem, cum de uenatu deae nihil
dixisset, pharetram tantum facit eam ferre in humero, tamquam
sit onus et sarcina; atque illud impense Probum esse de-
13 dea Q 20 egrediens Z 23 congruit II 27 si onus et sarcinam N (*Magliabechianus*) II

Illud quoque alio in loco animaduertimus caute omissum, quod
est in Graeco uersu dulcissimum (III 3):

5 Τίτυρ' εἰμὶν τὸ καλὸν πεφιλημένε, βόσκει τὰς αἴγας
καὶ ποτὶ τὰν κρᾶναν ἄγε, Τίτυρε· καὶ τὸν ἐνόρχαν
τὸν Αἰβυκὸν κνάκωνα φιλύσσεο, μὴ τυ κορούξῃ.

Quo enim pacto diceret: τὸ καλὸν πεφιλημένε, uerba hercle
non translaticia, sed cuiusdam natiuae dulcedinis? Hoc igitur
reliquit et cetera uertit non infestiuiter, nisi quod caprum
dicit quem Theocritus 'ἐνόρχαν' appellauit — auctore enim
10 M. Varrone (*fr.* 419 *Funaioli*) is demum Latine 'caper' dicitur
qui excastratus est — (*Verg. ecl.* IX 23 sqq.):

Tityre, dum redeo, breuis est uia, pasce capellas
Et potum pastas age, Tityre, et inter agendum
Occursare capro, cornu ferit ille, caueto.

3 πεφιλημένε *codd.* Theocrit. tantum non omnes 5 κνάκωνα] *codd. recent. cum*
Theocr. 5 ΚΑΝΩΝΑ II et *codd. rec.* ΚΑΝΟΝΑ Ν ΚΑΛΛΩΝΑ Ζ (= *Voss.*
maior.) ΚΑΙΑΑΝΩΝΑ Β (= *fragm. cod. Bernens.* 404) || τι κορούξῃ *Theocr.*

miratum in Vergilio dicebant, quod Homerica quidem *Λητώ* gaudium gaudeat genuinum et intimum atque in ipso penetranti cordis et animae uigens, siquidem non aliud est: *γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ*, ipse autem imitari ea uolens gaudia fecerit pigra et leuia et cunctantia et quasi in summo pectore super-⁵nantia: nescire enim sese quid significaret aliud 'pertemptant'; praeter ista omnia florem ipsius totius loci Vergilium uideri omisisse, quod hunc Homeri uersum exigue secutus sit:

θεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι,
quando nulla maior cumulatiorque pulcritudinis laus dici¹⁰ potuerit, quam quod una inter omnis pulcras excelleret, una facile et ex omnibus nosceretur.

2 gaudio *Π* || gaudebat δ 5 supereminentia *QB* supeminēcia *Z* (cf. *Verg. Aen. I 501*) 6 significare δ.

III. EX VERGILII RECENSIONE ADNOTATIONIBVSQVE

BREVIS EXPOSITIO in Verg. georg. I 224: INVITAE dicit 5. (*deest*)
Probus a translatione dictum esse ut (224) 'spem credere terrae' et supra (223) 'committas'.

1 dñ ||| P (*Paris. II 308*) 2 probus ||| P.

SERVIVS ad georg. I 277: Probus Horcus legit, Cornutus 6. (STEVP
uetat aspirationem addendam. p. 83)

1 Horcus] *Suringar, hist. crit. schol. Lat. II p. 18 adn., Ribb. prol. 139; Orchus libri. AMR, Horcus P*

SCHOL. BERNENS. ad georg. I 403: noctua] auis lucis 7. (118)
profuga. si canat post solis occasum, pluuiam significat. Probus ait: si in tectis uel in arboribus canat sero, serenitatem significat.

GELLIVS XIII 27.

De uersibus, quos Vergilius sectatus uidetur, Homeri ac Partheni (*p. 143*). VI.

SERVIVS (auct.) ad Aen. I 92: reprehenditur sane hoc loco VII.
Vergilius quod improprie hos uersus Homeri transtulerit (*Od. V 406*) *καὶ τότε Ὀδυσσεύς λίτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ, ὀχθήσας*

δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν. nam 'soluuntur frigore membra' longe aliud est quam *λίτο γούνατα*: et 'duplices tendens ad sidera palmas talia uoce refert' molle, cum illud magis altum et heroicae personae *πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν.* praeterea quis interdum manus ad sidera tollit, aut quis ad caelum manum tendens non aliud precatur potius quam dicit 'o terque quaterque beati?' et ille intra se, ne exaudiant socii¹⁰ et timidiores despondeant animo, hic uero uociferatur. (*p. 120*)

4 frigore soluta membra (*Cassell.*) 11 animos *Thilo.*

BREVIS EXPOSITIO in Verg. georg I 223: COMMITTAS VIII.
quasi fidis custodibus (cf. *frgm. 5*).

1 quasi custodibus fidis *Seruius.*

8. (STEV P. 118) BREVIS EXPOSITIO (*cod. Leidens. 135 s. XI in.*) ad georg. I 403: NOCTVA auis est lucifuga quae significat pluuiam, si cecinerit post solis occasum. Probus ait: si in tectis uel in arboribus altis canat, serenitatem significat, si in foraminibus uel in ramusculis . . .
9. (112) MACROBIUS Saturn. V 22, 9: Apud Vergilium Pan niueo lanae munere Lunam inlexisse perhibetur (*ge. III 391*): 'in nemora alta uocans munere sic niueo lanae, si credere dignum est' et reliqua. in hoc loco Valerius Probus uir perfectissimus notat nescire se hanc historiam siue fabulam quo referat auctore. quod tantum uirum fugisse miror.
10. (179) SCHOL. BERNENS. ad georg. IV 134: CARPERE carpebat. infinitiuo enim imperfecta tempora significat more ueterum, ut Probus ait.
11. (180) SERVIUS (auct.) ad Aen. I 1: Probus ait Troiam Graios et Aiax non debere per unam i scribi.
12. (86) SERVIUS (auct.) ad Aen. I 21: et 'hinc populum late regem belloque superbum uenturum excidio Libyae sic uolere parcas' in Probi adpuncti sunt et adnotatum: 'hi duo si eximantur, nihil minus sensus integer erit. sed Vergilius amat aliud agens exire in laudes populi Romani.' P. ad. 47
(i. p. 21)
3 adnotatum Scioppius adnotandum C(assellanus) || eximantur Scioppius in append. edit. Danielinae Fuldensem exhibere testatus est. examinantur C; cf. p. 65.
13. (101) SERVIUS (auct.) ad Aen. I 44: Probus et 'tempore' legit ut ipse (*Aen. IX 585*) 'liquefacto tempora plumbo'. . . . qui 'tempore' legunt, de topica historia tractum dicunt; nam Ardeae in templo Castoris et Pollucis in laeua intrantibus auctore est
5 post forem Capaneos pictus est fulmen per utraque tempora 3 typica C m. 2.
-
- IX. SERVIUS (auct.) ad georg. I 180: NEV PVLVERE VICTA F. hypallage est pro 'ne uicta fatiscat in puluerem' id est dissoluatur. 'fatiscat' autem significat 'adfatum hiscat' (*p. 50 adn. 1; cf. fr. 40*).
- X. SCHOLIA BERNENS. ad georg. I 277: Quidam cum aspiratione Horcus legunt (*cf. frgm. 6*).
2 Horcus Hagen, orcum libri.
- XI. (118) SERVIUS ad georg. I 403: 'noctua' autem auis est lucifuga, quae significat pluuiam si cecinerit post solis occasum.
- XII. SERVIUS (auct.) ad georg. II 224: et hoc emendauit ipse, quia Nola posuerat: nam postea offensus a Nolanis qui eidem aquam negauerant, 'ora' pro 'Nola' posuit. (*cf. Gell. VI 20, p. 136*).
- XIII. SERVIUS (auct.) ad georg. IV 134: CARPERE POMA 'carpere' pro 'carpebat'; infinitum pro indicatiuo (*cf. fr. 10*).

traiectus. et singulare nomen pro plurali. Totius autem Italiae curiosissimum fuisse Vergilium multifariam apparet.

SERVIVS ad Aen. I 441: LAETISSIMVS VMBRA aut septimus est, aut secundum Probum genetiuis, ut sit 'laetissimus umbrae' sicut Sallustius (*II 83 Maur.*) 'frugum pabulique lactus ager'.

14. (STEV
p. 94)

SERVIVS (auct.) ad Aen. II 173: SALSVS SVDOR] indicium commoti numinis fuisse dicitur. Probo sane displicet 'salsus sudor' et superuacue positum uidetur. hoc autem Ennius (*ann. 606 Vahl.*) de † lamis dixit.

15. (100)

1 salsus sudor] indicium commoti numinis fuisse dicitur, ne forte alter in simulacro quilibet humor intelligeretur. Probo sane superuacuo positum uidetur *Parisin. 1750 4 lamis] lacrimis Vahlen*

SCHOL. VERONENSIA ad. Aen. II 173: Probus malo epitheto putat usum poetam, critici uero naturalia (epitheta a poetis) nusquam inhoneste putant locari.

16. (deest)

arrectas

2 epitheta a poetis] *suppl. Keil*

SERVIVS ad Aen. III 3: HVMO FVMAT NEPTVNIA TROIA . . . sane quaeritur quomodo dixerit 'cecidit' et 'fumat'. sed aut per licentiam poeticam tempus pro tempore posuit ut (*II 12*) 'meminisse horret luctuque refugit': aut certe naturam rerum expressit; nam ruina in breui fit, fumus uero longo permanet tempore. nam quod ait Probus, ad discernendum tempus circumflectendam ultimam syllabam, ut intellegamus 'fumaui' non procedit.

17. (109)

SERVIVS (auct.) ad Aen. III 83: HOSPITIO licet Probus quaerat quid sit 'iungimus hospitio dextras', tamen septimus casus est, id est iure hospitalitatis: nam 'ad hospitium' non potest intellegi quia iam amicus fuit.

18. (107)

SERVIVS (auct.) ad Aen. IV 359: HIS AVRIBVS HAVSI accipi: et est pleonasmus. 'haurit' enim pro 'percipit' ponebant ueteres: et ideo qua potissimum parte sensus percipiant, adiungunt (*XII 26*) 'simul hoc animo hauri' et (*661*) 'hauriat hunc oculis ignem' et reliqua. Probus enim ait: nemo haurit uocem.

19. (104)

1 ad hausi *supr. uers.* percepi. hoc dicit ne putaretur eum uanis imaginibus esse deceptum *T (Bernens. 165)*

SERVIVS (auct.) ad Aen. IV 418: Probus sane sic annotauit: si hunc uersum omitteret, melius fecisset. *cf. 1, 21*

20. (105)

2 uersum *Commelinus*: uerbum *F et Bern. 167.*

SERVIVS ad Aen. VI init.: sane sciendum, licet primos duos uersus Probus et alii in quinti reliquerint fine, prudenter ad initium sexti esse translatos.

21. (40)

SERVIVS (auct.) ad Aen. I 692: INRIGAT infundit: proprie quia et somnus sic pingitur quasi cornu infundat (*p. 60*).

XIV.

SERVIVS (auct.) ad Aen. IV 615: VEXATVS hoc loco 'grauiter uastatus' (*cf. frgm. 3*).

XV.

22. (STEVP P. 91) SERVIVS ad Aen. VI 177: ARAMQVE SEPVLORI pyram dicit, quae in modum arae construi lignis solebat; nam et sequitur 'congerere arboribus caeloque educere certant'. et aram, quae ante sepulcrum fieri consuevit, intellegere non possumus, ut (III 63) 'stant manibus arae', cum nondum facta sit funeratio, quae praecedat sepulcrum. Probus tamen et Donatus de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt.
 Probus] proquib. *R(eginensis)* || Donatus] ceteri commentatores *F*.
23. (108) SERVIVS ad Aen. VI 473: PRISTINVS prior. quod difficile inuenitur; nam de hoc sermone quaerit et Probus et alii.
24. (108) SERVIVS ad Aen. VI 782: ANIMOS AEQVABIT OLYMPO .. de hoc autem loco et Trogus et Probus quaerunt.
 et probus et rogus *M(onacensis)*, et *add. corrector*.
25. (110) SERVIVS ad Aen. VII 543: ET CAELI CONVEXA PER AVRAS Probus Asper Donatus dicunt hoc loco 'per' bis accipiendum, ut 'adloquitur Iunonem per caeli conuexa et per auras'.
26. (93) SERVIVS ad Aen. VII 773: POENIGENAM matris poena genitum: alii 'Phoebigenam' legunt, ut Probus.
 1 alii *om. M* 2 febigenam *L(ipsiensis)* faebigenam *H(amburg.)* poebigenam *F* || ut Probus *om. F.* *Poenigenam cod. Berg.*
27. (101) SERVIVS ad Aen. VIII 406: CONIVGIS INFVSVS GREMIO hoc est ante concubuit et sic quieuit. Probus uero et Carminius propter sensum cacenphaton 'infusum' legunt, ut sit sensus: dormit cum coniuge dormiente, id est petiit soporem infusum etiam coniugis gremio.
unvollständig
28. (100) SCHOL. VERON. in Aen. IX 369: (IBANT ET TVRNO REGI RESPONSNA FEREBANT) Hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse (*A. VII 600*): Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas.
 3 Sepsit *M(ai)* *H(errmann)* [Sepsit] *K(eil)*.
29. (69) SCHOL. VERON. in Aen. IX 373: [SVBLVSTRI] Asp.: utrum 'non nubila inlustrique'? Nam 'sub' pro 'parum' ponitur. Lucil. (*II 71 M*): 'Facti subpudet, ut di ...' (An pro sub)inlustrique positum? ut (*A. I 453*): 'Namque subingenti lustrat dum singula templo R. o. Prob. hic posuit aptis(simum hoc) exemplum ex Horatio (*c. III 27, 31*): 'Nocte (sub)lustrati nihil astra praeter Vidit et undas.'
 3 ut di ... *H* (tu di ..) *Mai* sibi legere uidebatur, *Keil* num quid omnino scriptum esset dubitabat. || [An pro sub]inlustrique *K* 4 ut Namque con. *K* unamque *codex*. 5 R. o.] hoc est reginam opperiens || aptis[simum hoc] *K* aptissimum *M* 6 sublustrati integrum uiderunt *MK*.
-
- XVI. SERVIVS (auct.) ad Aen. VIII 731: hunc uersum notant critici quasi superfluo et humiliter additum nec conuenientem grauitati eius: namque est [eius] magis neotericus. (*cf. frgm. 20 et p. 144*).
 2 superfluo *Daniel* profluo *F* 3 eius seclisit *Masuius*.

SERV. (auct.) ad Aen. IX 811: FESSOS QVATIT AEGER ANHELITVS Probus ait: commodius hic est 'aeger' quam in quinto (432) 'uastos quatit aeger anhelitus artus': quamuis consuetudo sit Vergilio ista mutandi. 30. (STEVP p. 106)

SERV. ad Aen. X 18: HOMINVM DIVVMQVE AETERNA POTESTAS hunc locum Probus quaerit (cf. p. 41 adn. 2). 31. (107)

SERV. ad Aen. X 33: NEQVE ILLOS IVVERIS AVXILIO concessius est iste modus secundum Probum; namque in artibus non inuenitur. fit autem quotiens taedio contentionis quasi uidemur concedere quod tamen nolimus fieri: nam id agit Venus hoc loco, ut Iuppiter magis praestet auxilium. 5 32. (111)
4 uolumus A (Caroliruhensis 116) S(angall.) uolunt M(onacens.); sed conf. Diomed. GL I 396, 30 sq. K.

SERV. (auct.) ad Aen. X 173: Probus 'trecentos' subdistingui uult, ut 'insula' sequentibus iungatur. 33. (93)
1 probos F 2 ut insula Daniel: intersula F.

SERV. (auct.) ad Aen. X 182: TERCENTVM ADICIVNT accedunt et consentiunt eius uoluntati: unde ait 'mens omnibus una sequendi' id est coniurati sunt. Probus 'adiciunt' adiacent et quasi iuxta sunt tradit. 34. (110)
2 consentiunt accedunt eius uoluntati quod sequentia explanant MF, sequuntur in Floriacensi Probus ... tradit mens sunt.

SERV. (auct.) ad Aen. X 303: Probus 'uadi dorso' pro 'uado' dictum putat ut in georgicis (III 436) 'dorso nemoris'. 35. (101)

SERV. ad Aen. X 444: AEQVORE IVSSO pro 'ipsi iussi'. et est usurpatum participium: nam 'iubeor' non dicimus, unde potest uenire 'iussus'. sic ergo hic participium usurpauit, ut Horatius uerbum, dicens (ep. I 5, 21): 'haec ego procurare et idoneus imperor et non inuitus'. ergo satis licenter dictum est, 5 36. (85)
6 huic M(onac.) et cod. ASL correctores hic ASLHR(eginens.) || probus a longam posuerit AS probus ad longam posuerit RLH probus hic corruptum . a. longam posuerit M.

SERV. ad Aen. X 539: INSIGNIBVS ARMIS Asper sic legit et utitur Sallustii exemplo qui ait (II 63 Maur.) 'equo atque armis insignibus': Probus uero 'insignibus albis' dicit legendum, ut uestes albas accipiamus, quae sunt sacerdotibus congruae sicut Staius de Amphiarao dicit. 5 37. (102)
1 legunt F 4 congruum F.

SERV. ad Aen. IX 371: SVBLVSTRI NOCTIS IN VMBRA sublustris nox est habens aliquid lucis: Horatius (c. III 27, 31) 'nocte sublustris nihil astra praeter uidit et undas (cf. frgm. 29). XVII.

FRAGM. PARIS. GL VII 536, 1 K: < auersa obelismene in ora ponitur quae ad aliquid respiciunt ut (A. X 88) 'nosne tibi fluxas Phrygiae'. (p. II.) XVIII.

1 in ora Ribb. prol. 150: in ore cod.

38. (STEV P. 106) SERV. (auct.) ad Aen. XI 554: HVIC 'huic' scilicet telo 'natam implicat'. Probus de hoc loco ἀπίθανον πλάσμα.
2 ἀπίθανον πλάσμα Dorvillius, arpitianplasma F.
39. (102) SERV. (auct.) ad Aen. XI 566: CAESPITE Probus ait: caespite καταχρηστικῶς pro campo, scilicet quod caespes gleba sit.
1 ait caespite καταχρηστικῶς scripsi, aut cespite aut caespite libri.
40. (102) SERV. (auct.) ad Aen. XI 830: ARMA RELINQVENS alii 'arma relinquunt' legunt. Probus hypallagen uult esse uel contrarium, ut ipsa relinquat.
2 esse om. F || uel contrarium om. T(aronensis) 3 relinquat F.
41. (110) SERV. (auct.) ad Aen. XII 174: PATERISQVE ALTARIA LIBANT Probus 'altaria' id est 'in altaria' dicit et 'pateris' pro 'ex pateris'.
42. (102) SERV. (auct.) ad Aen. XII 605: FLAVOS LAVINIA CRINES antiqua lectio 'floros' habuit, id est florulentos, pulchros: et est sermo Ennianus. Probus sic adnotauit: neotericum erat 'flauos', ergo bene 'floros': nam sequitur 'et roseas laniata genas': Accius in Bacchis (fr. XIII p. 169 Ribb.): 'nam flori crines, uideo, ei propessi iacent', in iisdem (fr. VIII p. 168 R) 'et lanugo flora nunc demum inrigat', Pacuuius Antiopa (fr. XII p. 79 R) 'ceruicum flores dispergite crines'.
4 flauos Daniel: fluuium F || flores F. corr. Daniel 5 Accius Daniel: acciui F || Bacchis Commelinus: bacchidibus F 6 uideo et processuacent F uideo ei propessi iacent Ribbeck || hisdem F 7 et] ei Ribbeck || laguna F: corr. Daniel || floro F flora Scriuerius 8 dispergite Delrio disperdite F.

IV. EX TERENTII RECENSIONE ADNOTATIONIBVSQVE.

43. [deest] DONAT. ad Ter. Andr. IV 3, 5₃: DOLOREM 'dolorem' distinxit Probus et post intulit separatim quod sequitur.
1 dolore (2.) T (= Vat. 2905) C (= Oxon.) 2 detruxit T destruxit C || Probus Umpfenbach: probe libri.
-
- XIX. SERV. ad Aen. XII 83: PILVMNO QVOS IPSA DECVS DEDIT ORITHYIA ait Horatius in arte poetica (339): 'nec quodcumque uelit poscat sibi fabula credi'. unde critici culpant hoc loco Vergilium, dicentes 'incongruum esse figmentum'.
5 namque Orithyia cum Atheniensis fuerit, filia terrigenae et a Borea in Thraciam rapta sit, quemadmodum potuit Pilumno, qui erat in Italia, equos dare? (p. 63.)
3 uolet Horatius
- XX. SERV. ad Aen. XII 649: INDIGNVS AVORVM Graeca figura: nam nos 'indignus illa re' dicimus, contra Graeci ἀνάξιος στεφάνου id est indignus coronae. (cf. frgm. 14.)

DONAT. ad Andr. V 3, 4₁: AIN TANDEM C. G. E. quaerit 44. (STEVV
 Probus 'ain' quae pars orationis sit et an una sit. est autem
 'ain' quasi aisne. ³ Ergo 'ain' percontatium uerbum est. p. 98)

2 Probus] pb B (= Vat. Regim. 1595) || quae parationis fit A (= Paris. 7920)
 || an una sit TC ain unde sit A ain unum sit B ain unde^a (corr. m. 2) sit
 V (= Vat. Reg. 1496) 3 percontatium B, percontatium C, percontrarium T.

DONAT. ad Adelph. III 2, 25: QUID FESTINAS MI GETA 45. (94)
 Probus personae assignat hoc Sostratae, Asper non uult
 ad omnia seruum respondere, sed nutricem putat hoc loqui.

DONAT. ad Eun. I 1, 1₇: NON EAM NE NVNC QUIDEM 46. (95)
 'non eam' Probus distinguit; iungunt qui secundum Menandri
 exemplum legunt.

DONAT. ad Phorm. I 1, 15₃: VBI INITIABVNT legitur 47. (98)
 apud Varronem (*Catus uel de liberis educandis* p. 249 X
Riese) initiari pueros Eduliae et Poticae et Cubae, dis edendi
 et potandi et cubandi, ubi primum a lacte et a cunis transierint;
 quod Vergilius (*buc. IV 63*) 'nec deus hunc mensa, dea nec
 dignata cubili est'. hoc annotauit Probus.

1 VBI INIT-] ubi ita CV ubi nam O (= Oxon. Lincoln. 45) || leg. R (= Ric-
 card.) legunt rell. 3 Poticae et om. CO 4 transierunt RC 6 est om. R.

DONAT. ad Andr. I 1, 41: OBSEQUIVM AMICOS VERITAS XXI.
 ODIVM PARIT huius uersus pars in prouerbio est 'ueritas
 odium p.' falsum est autem quod Cicero (*Lael. 24, 89*) putat
 'obsequium' primo dixisse Terentium, cum et Plautus et
 Naeuus ante dixerint. (cf. *frgm. 49*) 5

2 PARIT] post A || huius ATCV¹ hic V² (*dett., edd.*) || pars Wessner per ATC,
 in ras. V² || in prouerbio] *scripsi* improbrior A improbiorum (-itorum T) TC im-
 properium (m. 2 in ras.) V improbior Wessner 3 Cicero putat] & tropitatio
 A cicero primo V cicero dixit TC 4 cum & A cum (m. 2 in ras.) et V
 5 dixerunt libri, corr. Steph.

DONAT. ad Andr. III 2, 3₁: NVNC PRIMVM FAC ISTA XXII.
 VT LAVET imperitiae notantes Menandrum aut Terentium
 ipsi ultro imperiti inueniuntur, nam et ille 'λοῦσαι ἀντήν'
 dicens a consuetudine non recessit, † cum lauisset se aut non
 lauisset a parte totum significantes; et Terentius propius ad
 significationem accessit 'ista' dicendo, ne pudenda nominaret.

³ FAC ISTA VT LAVET 'ista' quae ex puerperio
 sordebant (*uid. p. 34 sqq.*).

2 ita peritiae TC 3 imperiti ex -rati corr. C || inueniunt T || ille — aut
 non in mg. V² || ΛΟΥCΑΤΑΥΤΗΝ B ΛΟΥC.ΑΤΑΥΤΚΝ A *** TCV² 4 a
 om. C || cum λοῦσαι ἀντήν Sabbadini 5 potum TC || significat sed (in ras.) V
 significet Sabbad. 6 accessit om. T || narraret T 7 VT LAVET] uolauit A ||
 ista quae] itaque B || ex puero TC.

DONAT. ad Adelph. III 3, 11₂: ENARRAMVS pro enarra- XXIII.
 uimus, ut (*Verg. Aen. III 3*) 'omnis humo fumat N. T.' (cf.
Seru. ad h. uers. [= frgm. 17]).

48. (STEVP P. 97) DONAT. ad Phorm. I 3, 3₁: INCOGITANS temerarius. Probus 'nomen incogitans' inquit 'in usu est, at non eodem modo cogitans'.
2 Probus nomen incogitans *Schoell*: improbus (et pr—O) non cogitans libri || at] an *COV*.
49. (98) DONAT. ad Phorm. II 3, 25₂: MALE LOQVI pro 'male dicere'. et quaerit Probus quis ante Terentium dixerit.
50. (97) DONAT. ad Phorm. V 9, 16: MI HOMO DI MELIVS DVINT quaerit Probus an matrona tam familiariter recte dicat alieno.
- XXIV. DONAT. ad Adelph. I 1, 18₃: FORTVNATVM ISTI PVTANT utique uxorem non ducere. dicit autem Romanis id uideri, quos spectatores habet. Menander '† τωμανκαριαην γυναικ' οὐ λαμβάνω.' (p. 36.)
3 ΓΙΝΕΚΑ ΟΡΑ· ΑΜΒΑΝΩ *A*: corr. Bentley; ἐγὼ μακαρίζοι' οὐ γ. λαμβάνων (ἔτι) *Nenciini*.
- XXV. DONAT. ad Eunuch. IV 4, 22: At ego † edesionum sequor, qui recte intellexit Terentium scientem 'mustellino colore' dixisse eunuchum uelut subliuido, quia uere eunuchi aut ex candidissimis lentiginosi fiunt, ut ex Gallis et eiusmodi occidentalibus, aut ex fuscis subliuidi, ut ex Armeniis et aliis orientalibus. (p. 37.)
1 aedesionum *K* edisionum *C* edibicionum *T* (= *Vat. lat.* 2905); Edesionium *cod. Cuiacii* (cf. *Wessneri uol. I praef. p. XVI*) edesionem uel edisionem *det.* (= *Dresd., Leid., Paris. lat.* 7921); uide appendicem *ed. Wessn.*
- XXVI. EVGRAPHIVS ad Phorm. I 1, 15 (p. 218 *Wessner*): VBI INITIABVNT hoc est initiare: ad cibum infantem instruere, qui et ipse quodammodo eius dies natalis est (cf. *frgm.* 47).
- XXVII. DONAT. ad Phorm. II 3, 25: PERGIN ἀπόστροφος per παρένθεσιν (cf. *frgm.* 44).
- XXVIII. DONAT. ad Phorm. II 3, 26₂: AIN TANDEM 'ain': ἀπόστροφος nota est quae separat E ab N; littera i (non) tenuit s, sed sonum. est enim integrum 'aisne' (cf. *frgm.* 44 et p. 136 *adn.*).
1 AIN] aisne libri || ain] aisne *O, om. RV* 2 separat E] separate *RC* (—) || littera i (non) tenuit s, sed sonum *scripsi* (cf. p. 136 *adn.*) littera . i. tenuit sed (se sed *V*) sonum libri, unde littera s ante n amittit sonum *coni. Wessner.*
- XXIX. DONAT. ad Phorm. II 3, 46: AT SI TALENTVM REM RELIQVISSET more Romanorum, apud quos hereditas pecuniae erat. 'talentum' autem quod dixerit, more Graecorum admiscuit. (p. 37.)
- XXX. DONAT. ad Phorm. V 8, 11: ADHVC CVRAVI τῷ ἀρχαῖσμῳ addidit 'adhuc', cum potuisset sine hoc integer sensus esse. (p. 139.)
- XXXI. SCHOL. BEMBINA ad Eun. I 1, 34: calamitas, dixit, grando ab eo quod calamos frangat (p. 38).
- XXXII. DONAT. ad Eun. I 1, 34: calamitatem rustici grandinem dicunt quod comminuat calamum id est culmum ac segetem (p. 39).

DONAT. ad Hecyr. prol. I 2₃: Calamitas *παρὰ τὴν καλὰμην* dicitur, clades quia clam datur, ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti aut doli mali. sic Probus. 51. (STEUP p. 98)

2 clam datur *Wessner* clamatur *libri* || furtim *C* || aut *Leidensis* ut *rell.*

DVBIA

Ex Franc. Fabricii Marcodurani Annotationibus in Terentium, Dusseldorpii 1558 (cf. *Paul Lehmann, Eine verschollene Priscianhandschrift, Rh. M. 60 [1905] 624*):

ad Terentii Andriam IV 5, 2: Quae se inhoneste optauit parare] Probus 'parere' agnoscit, ut notauit Riuus.

Terentiani libri: parere; parère *D* (*Victorianus*) *E* (*Riccardianus*). *De Fabricio Marcodurano et de Riuio* cf. *Sandys, A history of classical scholarship II (1908) p. 268.*

52. (*deest*)

V. VITA A. PERSII FLACCI DE COMMENTARIO PROBI VALERII SVBLATA

Aulus Persius Flaccus natus est pridie nonas Decembris Fabio Persico L. Vitellio coss., decessit VIII kalendas Decembris P. Mario Afinio Gallo coss. 53. (125)

natus in Etruria Volaterris, eques Romanus, sanguine et affinitate primi ordinis uiris coniunctus. decessit ad octauum miliarium uia Appia in praediis suis.

pater eum [Flaccus] pupillum reliquit moriens annorum fere sex. Fulua Sisennia nupsit postea Fusio equiti Romano et eum quoque extulit intra paucos annos.

studuit Flaccus usque ad annum XII aetatis suae Volaterris, inde Romae apud grammaticum Remmum Palaemonem et apud rhetorem Verginium Flauum.

cum esset annorum XVI, amicitia coepit uti Annaei Cornuti, ita ut nusquam ab eo discederet. inductus aliquatenus in philosophiam est. 15

amicos habuit a prima adulescentia Caesium Bassum poetam et Calpurnium Staturam, qui uiuo eo iuuenis decessit. coluit ut patrem Seruilium Nonianum.

cognouit per Cornutum etiam Annaeum Lucanum aequaeum auditorem Cornuti. [nam Cornuto [illo tempore] traditus fuit] sectae stoicae philosopho cui libros reliquit. [sed] Lucanus mirabatur adeo scripta Flacci, ut uix se retineret recitante eo clamaretque illa ipsa uera esse poemata, sua se ludos facere. 20

7 Flaccus *seclusit Buecheler* 20 nam — 21 *sed secreuit Bergk* Cornuto illo tempore traditus fuit sectae stoicae philosopho cui *Nemethy* illo tempore *seclusi* cf. p. 55. nam Cornutus illo tempore tragicus fuit sectae poeticae qui libros philosophiae *libri* 22 *recitantē libri* 23 clamaretque illa ipsa uera esse poemata, sua se ludos facere *scripsi* cf. p. 47, clamore quae illa essa uera ipsa poemata ipse luto facere *Leidensis*, clamore quae illa ipsa uera esse poemata suo ludo faceret *Gudianus*, clamore quin illa esse uera poemata diceret *Parisinus*, clamore quae ille esset uera poemata suo ludo faceret *Monacensis* 14498 (cf. *Manitius, Philol. 64 [1905] p. 567*).

DONAT. ad Hec. III 4, 26₃: sed ego Terentium puto scientem facetius Myconium crispum dixisse (p. 37). XXXIII.

sero cognouit et Senecam, sed non ut caperetur eius ingenio. usus est apud Cornutum duorum conuictu doctissimorum et sanctissimorum uirorum acriter tunc philosophantium, Claudi Agathurni medici Lacedaemonii et Petroni Aristocratis Magnetis, quos unice miratus est et aemulatus, cum aequales essent

Cornuti, minor eis ipse. idem decem fere annis summe dilectus a Paeto Thrasea est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam eius Arriam uxorem habente.

fuit morum lenissimorum, uerecundiae uirginalis, formae pulchrae, pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis. fuit frugi pudicus. reliquit circa HS uicies matri et sorori scriptis tantum ad matrem codicillis. Cornuto rogauit ut daret sestertia, ut quidam dicunt C, ut alii, L et argenti facti pondo uiginti et libros circa septingentos Chryssippi siue bybliotheecam suam omnem. uerum a Cornuto sublati libris pecunia sororibus, quas heredes frater fecerat, relicta est.

scriptitauit et raro et tarde. hunc ipsum librum imperfectum reliquit. uersus aliqui dempti sunt ultimo libro, ut quasi finitus esset. leuiter conrexit Cornutus et Caesio Basso petenti ut ipse ederet, tradidit edendum. scripserat in pueritia Flaccus etiam praetextam et hodoeporicon librum unum et paucos in socrum Thraseae in Arriam matrem uersus, quae se ante uirum occiderat. omnia ea auctor fuit Cornutus matri eius ut aboleret. editum librum continuo mirari homines et diripere coeperunt. decessit autem uitio stomachi anno aetatis XXIX.

[[sed mox]] ut a schola magistrisque deuertit, lecto Lucili libro decimo uehementer saturas componere studuit [[cuius libri principium imitatus est]] sibi primo, mox omnibus detrectaturus cum tanta recentium poetarum et oratorum insecratione, ut etiam Neronem principem [[illius temporis]] inculpauerit. cuius uersus in Neronem cum ita se haberet 'auriculas asini Mida rex habet' in eum modum a Cornuto ipso tantum nomine mutato est emendatus 'auriculas asini quis non habet?' ne hoc in se Nero dictum arbitraretur.]

6 minor eis ipse *Vahlen* minores ipse *libri* 22 et necio et operio *Bernensis*, uescio et opericon *plurimi libri*, et *ὀδοπορικῶν Pithoeus*, oschophoricon *coniecit Buecheler* 22 in soerum *Casaubonus* sororum *libri* 27 sed mox — 35 arbitraretur *seclusi*, uide p. 47 28 cuius libri principium imitatus est *seclusit Marx* 31 illius temporis *seclusi* 34 ipso tantum nomine mutato est *Buecheler* ipse tantum modo est *libri*

B. AD GRAMMATICAM

I. DE ORTHOGRAPHIA DE MENSURA SYLLABARVM DE ACCENTV

54. (STEVV) SERVIVS (auct.) ad Aen. I 1 = fr. 11.
p. 180)

XXXIV. QVINTILIANVS inst. or. I 4, 10: atque etiam in ipsis uocalibus grammatici est uidere, an aliquas pro consonantibus

GELLIVS VI 7:

An 'affatim' quasi 'admodum' prima acuta pronuntiandum sit; et quaedam
itidem non incuriose tractata super aliarum uocum accentibus.

55. (STEVV
p. 132)

Annianus poeta praeter ingenii amoenitates litterarum quoque¹
ueterum et rationum in litteris oppido quam peritus fuit et
sermocinabatur mira quadam et scita suauitate. Is 'affatim'
ut 'admodum' prima acuta, non media, pronuntiabat atque ita
ueteres locutos censebat. Itaque se audiente Probum gram-⁵
maticum hos uersus in Plauti Cistellaria (231) legisse dicit:
Pótine tu homo fácinus facere strénum? Aliorum áffatim est
Quí faciant; sane égo me nolo fórtem perhiberí uirum,
causamque esse huic accentui dicebat quod 'affatim' non
essent duae partes orationis, sed utraque pars in unam uocem¹⁰
coaluisset, sicuti in eo quoque quod 'exaduersum' dicimus,
secundam syllabam debere acui existimabat, quoniam una,
non duae essent partes orationis; atque ita oportere apud
Terentium legi dicebat in his uersibus (Phorm. 88):

In quo háec discebat lúdo exaduersúm loco
Tostrína erat quaedam.

15

Addebat etiam, quod 'ad' praenerbium tum ferme acueretur,
cum significaret *ἐπίτασιν*, quam 'intentionem' nos dicimus, sicut
'adfabre' et 'admodum' et 'adprobe' dicuntur.

8 nolo] nolo *codd. recent.* 15 dicebat *V(atic.)* ||. Exaduersum *VP(aris.)* ex-
aduerso *Ter. Bemb. cum paucis al.* || ilico *Ter. Bemb.* ei loco *codd. Ter. plerique*
in loco *eiusd. Victorianus m. pr.* 16 tonstrina *codd. recentiores et Terent. codd.*

usus acceperit, quia 'iam' sicut 'tam' scribitur et 'uos' ut 'cos'.
at quae ut uocales iunguntur, aut unam longam faciunt, ut
ueteres scripserunt qui geminatione earum uelut apice ute-
bantur, aut duas: nisi quis putat etiam ex tribus uocalibus
syllabam fieri, si non aliquae officio consonantium fangantur.⁵
quaeret hoc etiam, quo modo duabus demum uocalibus in se
ipsas coeundi natura sit, cum consonantium nulla nisi alteram
frangat. atqui littera i sibi insidit — 'coniicit' enim est ab illo
'iacit' — et u, quo modo nunc scribitur 'uulgus' et 'seruus.' sciat
etiam Ciceroni placuisse 'aiio Maiiamque' geminata i scribere:¹⁰
quod si est, etiam iungetur ut consonans. (*p. 87 sqq.*)

1 uos *scripsi quos libri; cf. p. 88 sqq.*

VELIVS LONGVS GL VII 54, 16 K: et in plerisque Cicero
uidetur auditu emensus scriptionem, qui et Aiiacem et Maiiam
per duo i scribenda existimauit: quidam unum esse animad-
uertunt, siquidem potest et per unum i enuntiari, ut scriptum
est. unde illud (quod) pressius et plenius sonet per duo i scribi⁵
oportere existimat, sic et Troiiam et si qua talia sunt. (*p. 97*)

3 quidam *Keil*, quoniam *cod. Parrhasii et ed. pr.* 5 quod *suppl. Keil.*

XXXV.

GELLIVS IV 17:

De natura quarundam particularum quae praepositae uerbis intendi atque
produci barbare et inscite uidentur, exemplis rationibusque plusculis dis-
ceptatum. (*p. 96*)

XXXVI.

56. (STEVP GELLIVS IV 7:

p. 132) De epistula Valerii Probi grammatici ad Marcellum scripta super

accentu nominum quorundam Poenicorum.

¹ Valerius Probus grammaticus inter suam aetatem praestanti scientia fuit. Is 'Hannibalem' et 'Hasdrubalem' et 'Hamilcarem' ita pronuntiabat, ut paenultimam circumflecteret, teste epistula eius scripta ad Marcellum, in qua Plautum (*fr. f. inc.*

⁵ XLII G) et Ennium multosque alios ueteres eo modo pronuntiasse affirmat, solius tamen Ennii uersum unum ponit ex libro qui Scipio inscribitur. Eum uersum quadrato numero factum subiecimus, in quo, nisi tertia syllaba de Hannibalis nomine circumflexe promatur, numerus clausurus est. Versus

¹⁰ Ennii quem dixit, ita est (*p. 214 V*):

Si qua propter Hannibalis cópias considerat.

(*lemm.*) super accentu] *recent.* sup̄ centū V supra centum P 3 teste Gronouius ut est VPR (= *cod. acad. Lugd., Bat., Gron.*) et *recent. nonnull.* ut et est *recent.* 9 circumflexa *recent.* || ponetur *recent.* 11 Si qua Buecheler *Rh. M. 20, 486*: Qua VPR *recent.* qui *edd. ueteres* || considerat P *excerpt. Scioppii et codd. recent.* considerant VR *edd. uet.*

57. (109)

SERVIVS ad Aen. III 3: HVMO FVMAT NEPTVNIA TROIA . . . sane quaeritur quo modo dixerit 'cecidit' et 'fumat'. sed aut per licentiam poeticae tempus pro tempore posuit ut (*II 12*) 'meminisse horret luctuque refugit': aut certe

⁵ naturam rerum expressit; nam ruina in breui fit, fumus uero longo permanet tempore. nam quod ait Probus, ad discernendum tempus circumflectendam ultimam syllabam, ut intellegamus 'fumaui' non procedit, quia 'pone' tantum [uerbum] in ultima habet accentum, ut significet 'retro'.

6 tempore] aut certe, quod melius est, fumat non est praesens tempus, sed praeteritum per sincopam prolatum pro fumaui. quod apud Latinos non solum in secunda singulari et plurali tertiaque plurali sincopam patitur, ut fumasti pro fumaui et fumastis pro fumaui, fumarunt pro fumaauerunt, sed etiam est quando in tertia singulari, ut fumat pro fumaui. quod cum sit accentus penultimae in ultima *add. E* (= *Monac. 18 059*) *expunxit corrector.* || nam quod . . . retro *om. Floriac.* 8 uerbum *seclisit Thilo* 9 in ultima habet accentum] dat accentum ultimae syllabae *M* (*Monac. 6894*) *E.*

XXXVII. GELLIVS II 17:

Cuiusmodi esse naturam quarundam praepositionum M. Cicero animaduertit; disceptatumque ibi super eo ipso quod Cicero obseruauerat (*p. 135*).

XXXVIII. DONAT. ad Adolph. III 3, 11 = fr. XXIII.

XXXIX. DIOMED. GL I 372, 6 K: conperio conperii, conpereio conperii. sed accentu discernitur sensus. acuto enim accentu profertur, quotiens pro eo accipitur quod est rescii: conpereram enim facit. conperii uero circumflexo accentu declinatur, quotiens ⁵ pro eo accipitur quod est cum alio perii. conperieram enim facit. praeterea de accentibus in significationibus uis conferas Diomed. GL I 434, 1 seqq. K et Donat. GL IV 372 seqq. K.

2 proferatur *corr.* profertur B (*Paris. 7493*). 3 conpereram B conperiram M (*onac.*) cūperam A (= *Paris. 7494*) 4 conperii uero BM conperi uero A 5 conperieram B cūperieram A conperiram M.

II. DE ORIGINATIONE VERBORUM DE SIGNIFICATIONE
DE ASPIRATIONE

DONAT. ad Hec. prol. I 2₃ = fr. 51.

58. (STEVV
p. 98)

GELLIVS XV 30, 3: Nam cum quaereretur 'petorritum' quali forma uehiculum cuiatisque linguae uocabulum esset, et faciem uehiculi ementitus est longe alienam falsamque et uocabulum Graecum esse dixit atque adsignificare uolucres rotas interpretatus est, commutataque una littera 'petorritum' esse dictum uolebat quasi 'petorrotum'; scriptum etiam hoc esse a Valerio Probo contendit. Ego, cum Probi multos admodum commentationum libros adquisierim, neque scriptum in his inueni nec usquam alioqui Probum scripsisse credo: 'petorritum' enim est non ex Graecia dimidiatum, sed totum ortum trans Alpibus; nam est uox Gallica.

59. (193)

4 adsignificare Gronouius Lion ad significare X (*Voss. minor*) O (= *cod. Christinae in Vat.*) IIN significare Q. 7 * * pbi X 8 commentationum N commentariorum N m. 2 in mg., excerpta Sciopii 11 ortum *suppl. H. J. Müller*

PRISCIAN. GL II 236, 11 K: . . . et a puero composita Publipor Publiporis et Marcipor Marciporis (sic Probus; ita enim antiqui pro 'Publii puer' et 'Marci puer' dicebant,) quae o non producunt in obliquis casibus: 'unus constitit in agro Lucano gnarus loci, nomine Publipor'. Sallustius in III⁵ historiarum (III 99 *Maur.*) hoc protulit.

60. (185)

1 puplipor pupliporis G (*Sangall.*) L (*Lugd. Bat.*) K (*Caroliruh.*) 3 puplii GLK 4 unus — Publipor *post* Sallustius — protulit collocant B (*amberg.*) H (*alberstad.*) || consistit K 5 puplipor GZ || III] II GK.

DIOMEDES GL I 364, 28 K: manduco manducaui; proprie autem est quod Graeci dicunt *μασσῶμαι*, hoc est identidem mando, ideoque Probus negat recte dici piscem uel aliud tenerum quid manduco, sed potius edo quod significat *ἐσθίω*. manducatur autem quod dentibus reluctatur. nam cum dicam edo, quid faciam ostendo, cum uero manduco, non tantum quid faciam ostendo sed et qualiter faciam. ueteres tamen et in edendi significatione manduco dixere.

61. (191)

2 massume ABM || idemtidem BM edentidem A 4 esthio ABM 5 denti aut A denti haud B denti haut *deleto u. haut M.*

GELLIVS VI 10:

(Ut) 'ususcapio' copulate recto uocabuli casu dicitur, ita 'pignoriscapio' coniuncte eadem uocabuli forma dictum esse. (*p. 135.*)

XL.

DONAT. Andr. V 2, 14: (Catus) ardens *παρὰ τὸ κάειν* unde Cato dictus: ingeniorum etenim igneus uigor est. (*cf. frgm. 58.*)

XLI.

QVINTIL. inst. orat. I 4, 26: gentes quoque ac loca et alia multa reperias inter nominum causas. in seruis iam intercidit illud genus quod ducebatur a domino, unde Marcipores Publiporesque.' (*cf. frgm. 60.*)

XLII.

62. (STEV P. 195) CHARISIVS GL I 198, 12 K: 'Efflictim' Naeuius in Corollaria (p. 13 R³):
- nolo ego
hanc adeo efflictim amare: diu uiuat uolo,
ut mihi prodesse possit;
ubi Probus: 'usque donicum effligatur'.
63. (111) SERUIVS ad buc. VI 76 = fr. 3.
-
- XLIII. CHARISIVS GL I 212, 9 K: 'Praefiscini'. Titinius in Setina (p. 176 R³):
- Paula mea, amabo. Pol tu ad laudem addito
praefiscini,
'ne puella fascinetur' (p. 142; p. 50 adn.).
- XLIV. SERUIVS (auct.) ad georg. I 180: NEV PVLVERE VICTA F. hypallage est pro 'ne uicta fatiscat in puluerem' id est dissoluatur. 'fatiscat' autem significat 'adfatis hicat'. (p. 50 adn.)
- XLV. PRISCIAN. GL II 398, 10 K: dicitur tamen et liquor liqueris prima syllaba producta quae in superioribus corripitur. idem in I georgicon (43):
- Vere nouo gelidus canis cum montibus umor
Liquitur
pro 'pedetemptim dissoluitur' (p. 50 adn.; et cf. frgm. XLIV).
- XLVI. GELLIVS II 6
Quibus uerbis ignauiter et abiecte Vergilius usus esse dicatur et quid his qui improbe id dicunt, respondeatur. (p. 127.)
- XLVII. GELLIVS IX 12
De uerbis quae in utramque partem significatione aduersa et reciproca dicuntur. (p. 139.)
- XLVIII. DONAT. Andr. I 1, 28₃: PLERIQUE OMNES F. ἀρχαῖσμός est. nam errat qui plerique παρέλκον intellegit aut qui subdistinguit 'plerique' et sic infert 'omnes'. hoc enim pro una parte orationis dixerunt ueteres eodem modo quo Graeci πάμπολλα et Latini 'plus satis' (Eun. 85). Naeuius in bello punico (libr. inc. fr. 52 p. 50 Baehr.) 'plerique omnes subiguntur sub unum iudicium'. (p. 139.)
- XLIX. GELLIVS VIII 12
Quid significet in ueterum libris scriptum 'plerique omnes'; et quod ea uerba accepta a Graecis uidentur. (p. 139.)
- L. GELLIVS XIII 25
Quaesitum tractatumque quid sint 'manubiae'; atque inibi dicta quaedam de ratione utendi uerbis pluribus idem significantibus. (p. 143.)
- LI. GELLIVS VII 16
Verbum 'deprecor' a poeta Catullo inusitate quidem, sed apte positum et proprie; deque ratione eius uerbi exemplisque ueterum scriptorum. (p. 138.)

- ALDHELMI de re grammatica et metrica (A. Mai classic. auct. tom. V. Romae 1833 p. 538): 'Liquor si nomen tertiae fuerit declinationis, pyrrhichius est, ut Arator (*act. ap. II 59, Migne 68, 179*) 'de rore dapes de caute liquores' Et infra (62) 'aereusque liquor solidis induruit escis'. Nam si liquor uerbum fuerit tertiae coniugationis uel tertij ordinis, ut Valerio grammatico uocare libuit, trochaeus; ut Vergilius in georgicis (*I 43*) 'canis cum montibus humor liquitur et zephyro putris se gleba resoluit'. (*cf. p. 56.*)
- SERVIVS ad georg. I 277 = fr. 6. 64. (STEVP p. 183)

III. DE EA QVAE DICITUR *ἐρῶνία*

- GELLIVS XIII 21, 1: Interrogatus est Probus Valerius, quod ex familiari eius quodam conperi, 'has'ne 'urbis' an 'has urbes', et 'hanc turrim' an 'hanc turem' dici oporteret. 'Si aut uersum' inquit 'pangis aut orationem solutam struis atque ea tibi uerba dicenda sunt, non finitiones illas praerancidas neque fetutinas grammaticas spectaueris, sed aurem tuam interroga, quo quid loco conueniat dicere; quod illa suaserit,
66. (194)

- SERVIVS ad Aen. III 28: LIQVVNTVR 'li' in uerbo producitur, ut hoc loco, itemque (*georg. I 43*) 'canis cum montibus umor liquitur': in nomine uero breuis est ut 'liquor'. (*cf. frgm. 64.*)
- 2 item — liquitur *om. F.* LII.

- SERVIVS ad georg. I 44: LIQVITVR liquor cum nomen est li breuis est. cum ad uerbum uenerit, producitur, ut liquor liqueris liquitur; nam mutauit naturam: sicut homo hūmus u breuis est, hūmanus producitur; item itur i producitur, iturus corripitur. liquitur autem: defluit, resoluitur. (*cf. frgm. 62; 64; XLIV; XLV.*) LIII.

- SERVIVS ad Aen. I 668: odium autem ð in nomine breue est, in uerbo longum, ut odi, quemadmodum liquor li breuis est, liquitur longa. (*cf. frgm. 64.*) LIV.

- GELLIVS II 3
Qua ratione uerbis quibusdam uocabulisque ueteres immiserint h litterae spiritum'. (*cf. p. 127.*) LV.

- TERENTIVS SCAVR. GL VII 19, 14 K: '(peccant) item qui reprehensus cum aspiratione scribunt, cum eam prima positio non habeat, et similiter uehemens, cum a ui mentis dicatur. quam quidam putant adiciendam, quoniam (ue)hi non aliud putant esse quam (ui) alterius ferri, cum hoc uerbo sine dubitatione aspiretur. (*cf. p. 104.*) LVI.

4 uehi scripsi, hii uel .i. libri 5 quam ui alterius ferri scripsi, quam alterius ferri libri; *cf. p. 104.*

- GELLIVS XIII 21, 10: Nos autem aliud quoque postea consimiliter a Vergilio duplici modo scriptum inuenimus. Nam et 'tres' et 'tris' posuit eodem in loco ea iudicii subtilitate, ut si aliter dixeris mutauerisque et aliquid tamen auris habeas,
- LVII.

id profecto erit rectissimum.' Tum is qui quaesierat: 'quonam modo' inquit 'uis aurem meam interrogem?' Et Probum ait respondisse: 'Quo suam Vergilius percontatus est qui diuersis in locis urbis et urbes dixit arbitrio consilioque usus auris.

sentias suauitatem sonitus claudere. Versus ex decimo (350) hi sunt:

Tres quoque Threicios Boreae de gente suprema
Et tris quos Idas pater et patria Ismara mittit.

⁵ 'Tres' illic, 'tris' hic; pensicula utrumque modulareque: reperies suo quidque in loco sonare aptissime. Sed in illo quoque itidem Vergilii uersu (*Aen. II 554*):

Haec finis Priami fatorum,
si mutes 'haec' et 'hic finis' dicas, durum atque absonum erit
¹⁰ respaueris aures quod mutaueris. Sicut illud contra eiusdem Vergilii (*Aen. I 241*) insuauius facias, si mutes:

Quem das finem, rex magne, laborum?

Nam si ita dicas: 'quam das finem' iniucundum nescio quo pacto et laxiorem uocis sonum feceris.

¹⁵ Ennius item 'rectos cupressos' dixit contra receptum uocabuli genus hoc uersu (*p. 89 V*):

Capitibus nutantis pinos rectosque cupressos.

Firmior ei, credo, et uiridior sonus esse uocis uisus est, 'rectos' dicere cupressos quam 'rectas'. Contra uero idem Ennius in
²⁰ annali duodeuicesimo (*p. 82 V*) 'aere fulua' dixit, non 'fuluo', non ob id solum quod Homerus (*Y 446, O 6*) 'ἤερα βαθεῖαν' dicit, sed quod hic sonus, opinor, uocabilius uisus et amoenior. Sicuti Marco etiam Ciceroni mollius teretiusque uisum, in quinta in Verrem (*V 66, 169*) 'fretu' scribere quam 'fretu':

²⁵ 'Perangusto', inquit, 'fretu diuisa.' Erat enim crassius iam uetustiusque 'perangusto fretu' dicere. Itidem in secunda (*II 78, 191*) simili usus modulamine 'manifesto peccatu' inquit, non 'peccato'; hoc enim scriptum in uno atque altero antiquissimae fidei libro Tironiano repperi. Verba sunt Ciceronis haec:
³⁰ 'Nemo ita uiuebat, ut nulla eius uitae pars summae turpitudinis esset expers, nemo ita in manifesto peccatu tenebatur, ut, cum impudens fuisset in facto, tum impudentior uideretur, si negaret.' Huius autem uocis cum elegantior hoc in loco sonus est, tum ratio certa et probata est. 'Hic' enim 'peccatus' quasi
³⁵ 'peccatio' recte Latineque dicitur, sicut 'hic incestus' non qui admisit, sed quod admissum est, et 'hic tributus' quod 'tributum' nos dicimus, a plerisque ueterum dicta sunt. 'Hic' quoque 'adlegatus' et 'hic arbitratus' pro ('adlegatione' proque) 'arbitratione' dicuntur, qua ratione seruata 'arbitratu' et 'adlegatu meo' dicimus. Sic igitur 'in manifesto peccatu' dixit, ut 'in manifesto incestu' ueteres dixerunt, non quin Latinum
⁴⁰ 9 mutes hec & Q simul ut et *XOIN* si mutes *lut(Y)* et *ZTY* 15 preceptum *X* 32 imprudentior *Z* 38 adlegatus] = *cod. Christ. Vat. (O) m. alt. adnegatus OII*

Nam in primo georgicon quem ego' inquit 'librum manu ipsius correctum legi, 'urbis' per i litteram scripsit. Verba e uersibus eius haec sunt (*georg. I 25*):

urbisne inuisere, Caesar,
Terrarumque uelis curam.

Verte enim et muta, ut 'urbes' dicas: insubidius nescio quid facies et pinguius. Contra in tertio Aeneidis (*106*) 'urbes' dixit per e litteram:

Centum urbes habitant magnas.

Hic item muta, ut 'urbis' dicas, nimis exilis uox erit et ex-10 sanguis; tanta quippe iuncturae differentia est in consonantia uocum proximarum. Praeterea idem Vergilius 'turrim' dixit non 'turrem' et 'securim' non 'securem' (*Aen. II 460*):

Turrim in praecipiti stantem
et (*Aen. II 224*):

Incertam excussit ceruice securim.

Quae sunt, opinor, iucundioris gracilitatis, quam si suo utrumque loco per e litteram dicas.' At ille qui interrogauerat, 1 georgii ē Y (= *anth. Ursin.*) georgiciē Q georgicorū T (= *antholog. Gellio-Valeriana Thuaica (cod. Paris. 4952)* 2 correctum mg. *Gryph. 1537, vg.*: col(n N) lectum.

esset 'peccato' dicere, sed quia in loco isto positum subtilius ad aurem molliusque est. Lucretius aequè auribus inseruiens 'funem' feminino genere appellauit in hisce uersibus (*II 1153*):

Haut, (ut) opinor, enim mortalia saecla superne

Aurea de caelo demisit funis in arua,

cum dicere usitatius manente numero posset: 'Aureus e caelo demisit funis in arua'. Sacerdotes quoque feminas M. Cicero 'antistitas' dicit, non secundum grammaticam legem 'antistites'. Nam cum insolentias uerborum a ueteribus dictorum plerumque respueret, huius tamen uerbi in ea parte sonitu delectatus (*Verr. IV 45, 99*) 'Sacerdotes' inquit 'Cereris atque illius fani antistitae'. Usque adeo in quibusdam neque rationem uerbi neque consuetudinem, sed solam aurem secuti sunt suis uerba modulis pensitantem. 'Quod qui non sentiunt' inquit idem ipse M. Cicero, cum de numerosa et apta oratione dissereret (*or. 50, 168*) 'quas auris habeant aut quid in his hominis simile sit, nescio.'

Illud uero cum primis apud Homerum ueteres grammatici adnotauerunt, quod, cum dixisset quodam in loco (*II 583*)²⁰ *κολοιούς τε ψιράς τε*, alio in loco non 'ψηρών τε' set *ψαρών* dicit (*P 755*): *ἦ Τῶν δ' ὡς τε ψαρών νέφος ἔρχεται ἢ ἐ κολοιῶν*, secutus non communem, sed propriam in quoque uocis situ iucunditatem; nam si alterum in alterius loco ponas, utrumque feceris sonitu insuaue.

2 melliusq; Z 6 dimisit ZO pr.N || finis XO pr. 9 antistas Q || antistes Z 17 aures Q || similis (post hominis et ante s) X 23 quocunq; XN 24 alterius] altero Q.

rudis profecto et aure agresti homo: 'cur' inquit 'aliud alio in loco potius rectiusque esse dicas, non sane intellego'. Tum Probus iam commotior: 'noli' inquit 'igitur laborare utrum istorum debeas dicere, 'urbis' an 'urbes'. Nam cum id genus sis, quod uideo, ut sine iactura tua pecces, nihil perdes utrum dixeris.' His tum uerbis Probus et hac fini hominem dimisit, ut mos eius fuit erga indociles, prope inclementer.

IV. DE DECLINATIONE DE DEMINVTIVIS DE DVBIIS
GENERIBVS

67. (STEV P. 186) PRISCIANVS GL II 237, 22 K: excipitur 'hic satur, huius saturi', unde Lucanus (*Phars. VI 117*):

saturum tamen obsidet hostem,
quod ideo est secundae declinationis, quia facit femininum in a desinens, id est 'haec satura' — Terentius in *hecyra* (769):

Sed cum tu satura atque ebria eris, puer ut satur sit
facito —,

quod a Probo praetermissum doctissime attendit noster praeceptor Theoctistus, omnis eloquentiae decus, cui quidquid in me sit doctrinae post deum imputo. *cf. Prob. cath. GL IV 17, 18 K.*

68. (186) PRISCIANVS GL II 241, 8 K: 'hic' et 'haec' et 'hoc inquires' quoque 'inquietis', quod quamuis in nominatiuo e correptam

- LVIII. GELLIUS VI 20:

Quod Vergilius a Nolanis ob aquam sibi non permissam sustulit e uersu 'Nolam' et posuit 'oram': atque ibi quaedam alia de iucunda consonantia litterarum. (*p. 136.*)

- LIX. SERVIUS ad Aen. XII 95: VOCATVS HASTA MEOS inuocationes et preces: nam appellatio est a uerbo, quae semper aut in 'io' exit aut in 'us'; si in 'io' exeant, tertiae sunt formae; si in 'us', quartae, ut ab eo quod est 'lego' aut
⁵ 'lectio' aut 'lectus' facit. sed hoc nos dicimus, quod εἰρωνότερον (fuerit): sicut nunc ab eo quod est 'uoco' 'uocatus' fecit, non 'uocationes'. (*p. 123.*)

2 appetitio F 3 si in tom H si in u F 3 sunt] eunt H 4 formae est F 5 eufonoteron AS eufoniteron R eufonoteron H eufonoten F 6 fecit] potest F 6 fuerit *suppl. Thilo* 7 uocationis AS uocatio F.

- LX. QVINTILIANI inst. or. I 5, 3—4: Vni uerbo uitium saepius quam uirtus inest. licet enim dicamus aliquod proprium, speciosum, sublime, nihil tamen horum nisi in complexu loquendi serieque contingit: laudamus enim uerba rebus bene accom-
⁵ modata. sola est quae notari possit uelut uocalitas quae εἰρωνία dicitur: cuius in eo dilectus est, ut inter duo quae idem significant ac tantundem ualent, quod melius sonet malis. (*p. 121.*)

6 delectus *Ambros. E 153 et Paris. 7723.*

habeat, ut Probo uidetur, in genetiuo tamen eandem producit secundum genetiuum 'quies quiētis' principalis. *cf. Prob. cath. GL IV 18, 17 K.*

PRISCIAN. GL II 241, 18 K: excipitur 'haec apes, huius apis' quia hoc solum a pede compositum, ut quibusdam uidetur, ē longam seruauit neque ulla creuit syllaba in genetiuo, quamuis et alia composita ab eo quod est 'pes' auctores producant, ut Vergilius (*Aen. IV 135*):

69. (STEVV
p. 186)

Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit.

idem in X (892):

Tollit se arrectum quadrupes et calcibus auras
Verberat.

Horatius sermonum I (3, 13):

Omnia magna loquens, modo: sit mihi mensa tripes et
Concha salis puri.

Probus tamen inter correpta haec ponit. *cf. Prob. cath. GL IV 26, 14 K.*

8 arreptum *L(ugd. Bat.)* || aures *D(=Bernens.)* 11 fit *B(amberg.)*

PRISCIAN. GL II 242, 20 K: nam 'inquiries' cuius extremam corripit dicit Probus, 'inquietis' declinatur, quod trium factum est generum, ut supra ostendimus. cuius etiam simplex in usu inuenitur trium generum. Naeuius in carmine belli Punici II (22 p. 46 *Baehr.*): 'Tamque eius mentem fortuna fecerat quietem', 5 Licinius Macer in I annali (7 p. 193 *Peter*): 'non minimo opere milites quietes uolebant esse'. Sallustius in II historiarum: (II 25 *Maur.*) 'quia corpore et lingua percitum et inquietem nomine histrionis uix sani Burbuleium appellabant.' *cf. Prob. cath. GL IV 18, 17 K.*

70. (186)

fecit

5 mentem furtuna fecerat quietem *L* 8 quia] qui *L* || quietem *K(Caroliruh.)*
inquietem *m. 2.*

PRISCIAN. GL II 161, 26 K: In 'us' correptam secundae uel quartae declinationis, si sint arborum nomina, feminina sunt, propria quoque uel appellatiua Graeca 'os' in 'us' conuertentia, quae apud Graecos feminini sunt generis, ut haec cupressus, myrtus, laurus, cornus, quercus, fagus, pirus, platanus, Scyrus, 5 Berytus, Pylus, Ilius, Arctus (appellatiua uero, ut crystallus, costus, phaselus.) alia uero omnia eiusdem terminationis supra dictarum declinationum masculina sunt, ut hic clarus, magnus, animus, uentus, somnus, lacertus, cursus, metus, sexus, quamuis Plautus etiam 'hoc sexus' neutro genere protulit in rudente 10 (I 2, 19)

71.

Virile sexus numquam ullum habui —
fluctus, artus, portus, acus, unde aculeus diminutiuum teste Probo. *cf. Prob. cath. GL V 20, 28 K.*

(186)

5 laurus pyrus cornus *D* 6 Arctus *om. H(alberstadt.) G(=Sangall.) LK*
arcus *A(miniens.)* || appellatiua — phaselus *om. R(=Paris. 7496) ADH* in
mg. add. d || crystallus *co*s* phaselus *add. h.*

72. (STEV P. 194) PRISCIANVS GL II 115, 12 K: haec acus, hic aculeus et praeterea anguis anguilla, unguis ungula, nubes nubilum, quae magis denominatiua sunt existimanda quam diminutiua, quippe non habent diminutiuorum significationem, sed formam tantum. praeterea panus panucula. Lucilius in VIII (298 M):

Intus modo stet rectus . . . subteminis panus.

Probus etiam ponit hoc glandium haec glandula (pars est intestinorum), ensis ensiculus ensicula, praeterea haec beta, malua, hic betaceus, maluaceus. *Haec neque in cath. neque in inst. art. leguntur.*

73. (186) PRISCIANVS GL II 259, 17 K: diminutio tamen a masculino fit 'aculeus' teste Probo, quomodo ab equo equuleus. *cf. Prob. cath. GL IV 20, 28 K.*
74. (190) PRISCIANVS GL II 169, 6 K: Sciendum tamen quod uetustissimi in multis, ut diximus, supra dictarum terminationum

LXI. [Probi] CATHOLICA GL IV 29, 16 K: tos omnia corripiuntur et Graeca sunt et secundae declinationis, ti faciunt genetiuo, Berytos Beryti, Pontos Ponti, quae poterunt Latine melius dici, si o in u mutauerint. (*cf. frgm. 71.*)

LXII. CHARISIVS GL I 188, 11 K: est ergo in loco per genetiuum, cum ex primo et secundo ordine ueniunt, ut Romae sum, Beryti sum, domi sum, secundum ueteres qui ita declinauerunt haec domus, huius domi.

LXIII. QVINTILIANI inst. or. I 5, 59: ac si reperias grammaticum ueterum amatorem, neget quidquam ex Latina ratione mutandum, quia, cum sit apud nos casus ablatiuus, quem illi non habent, parum conueniat uno casu nostro, quinque Graecis
⁵uti. quin etiam laudet uirtutem eorum qui potentiolem facere linguam Latinam studebant nec alienis egere institutis fatebantur: inde 'Castorem' media syllaba producta pronuntiarunt, quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat, quorum prima positio in easdem quas 'Castor' litteras exit, et ut 'Palaemo'
¹⁰ac 'Telamo' et 'Plato' (nam sic eum Cicero quoque appellat) dicerentur retinuerunt, quia Latinum, quod o et n litteris finiretur, non reperiabant. ne in a quidem atque s litteras exire temere masculina Graeca nomina recto casu patiebantur, ideoque et apud Caelium legimus 'Pelias cincinnatus' et apud
¹⁵Messalam 'bene fecit Euthia' et apud Ciceronem 'Hermagora', ne miremur quod ab antiquorum plerisque 'Aenea' ut 'Anchisa' sit dictus. Nam si ut 'Maecenas Sufenas Asprenas' dicerentur, genetiuo casu non e littera, sed tis syllaba terminarentur. Inde Olympo et tyranno acutam syllabam mediam dederunt
²⁰quia [duabus longis sequentibus] primam breuem acui noster sermo non patitur, sic genetiuus 'Ulixi' et 'Achilli' fecit, sic alia plurima. (*p. 103.*)

²⁰ duabus longis sequentibus *del. G. Hermann.*

inueniuntur confudisse genera, nulla significationis differentia coacti, sed sola auctoritate, ut hic et haec aspergo, aluus, arcus, adeps uel adipēs, charta, cardo, cinis uel ciner, ceruix, collis, crux, calx, cupressus, platanus, populus, laurus, aquila, crinis, carbasus, colus, hic et haec cassis, clunis, hic et haec † conscia,⁵ callis, fornax, frutex, grex, frons frontis, hic et haec humus, imbrex, limus, latex — Accius (p. 257 R³):

non calida latice lautus —

lembus, linter, lepus, agnus, leo, pampinus, perdix, hic et haec palumbes, hic et haec faex, rudens ὁ πρότονος, socrus, supparus¹⁰ περιώμιον et hoc supparum, senex, stirps, torris ὁ δαλός, tiaras, Tiberis, amnis, torquis, trames, uesper, hi et hae uesper. in multis aliis etiam confudisse genera uetustissimi inueniuntur siue in eisdem terminationibus seu immutantes eas. neutra quoque quaedam solebant etiam masculino genere proferre¹⁵ uel ex contrario: hic et hoc guttur, murmur, globus, quod etiam hoc glomus dicitur, glomeris. hic fretus etiam et dorsus, huius fretus dorsus pro fretum freti et dorsum dorsi dicebant, hic gelus pro hoc gelu. Histrum pro Hister, et Rhenum, Tanagrum, Metaurum, Iberum, Vulturum, Oceanum (hoc²⁰ tamen, quotiens flumen sequebatur, solebant facere.) iubar quoque tam masculinum quam neutrum proferebant — Ennius in annalibus (p. 102 V):

Interea fugit albus iubar Hyperionis cursum.

Caluus in epithalamio (5 p. 320 Baehr.):

25

Hesperium ante iubar quatiens.

hoc iubar dixit: si enim esset masculinum uel femininum, iubarem dixisset. hic et hoc liquor, hic et hoc papauer, hic et haec et hoc penus et hoc penum — Plautus in Pseudulo (178):

† Nisi mihi annuus penus hic ab amatoribus congeratur³⁰

† Cras populo prostituam uos, o puellae.

Lucilius (1205 M):

Magna penus paruo spatio consumpta peribit . .

Plautus in captiuis (920):

† Dicam seni curet sibi aliud penus.

35

Caesar Strabo in oratione qua Sulpicio respondit (p. 334 Meyer²): ‘deinde propinquos nostros Messalas domo deflagrata penore uolebamus priuare.’ Afranius in Talione (p. 247 R³):

Vos quibus cordi est intra tunicam [manus] laeua, dextra
intra penum

Erile —

hic et haec et hoc pecus — Ennius in Nemea (p. 174 V):

40

Pecudi dare uiua marito.

potest tamen figurate hoc esse prolatum, ut si dicam ‘aquila maritus’ uel ‘rex auium’ — hic et haec retis et hoc rete, hic

26 Hesperium ed. Aldina 1527, Hesperum D = Bern. H = Halberstad. L = Lugd. K = Carolinuh. R = Paris. 7496 m. 2, Vesperum R m. 1 G = Sangall.

|| quatiens R m. 2 H m. 2 L m. 2: om. R m. 1 H m. 1 L m. 1 DGK 30 plenus R || congeretur D congeritur GK 39 manus del. Neukirchius || intra] L in rell.

et hoc sexus, hic et haec et hoc specus, hic et hoc sal. Cato in II (*Orig. II 32 p. 14 Iord.*): ex sale qui apud Carthaginienses fit. Afranius in Compitalibus (*p. 199 R.³*):

ut, quicquid loquitur, sal merum est.

etiam 'hoc sale' Ennius protulit in XIII annalium (*p. 69 V*):

Caeruleum spumat sale conferta rate pulsum

Per mare.

Supra dictorum tamen nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus inuenis.

75. (STEVP p. 199) CHARISIVS GL I 117, 24 K: Allecto, 'hanc Allecto' Maro:

(*Aen. VII 324*) luctificam Allecto

nam

(*Aen. IV 383*) et nomine Dido

⁵ saepe uocaturum

eiusdem schematis esse grammatici tradiderunt, non per uocatum, o Dido. Fl. tamen Caper Allecto monoptoton esse Valerium Probum putare ait [hanc Allecto].

³ nam] *conf. GL I 64, 16 K*: 'nam suo statu permanent et declinantur secundum Graecam definitionem'. ⁸ hanc Allecto *secluit Keil*.

V. DE COMPARATIONE

76. (195) CHARISIVS GL I 212, 7 K: Parcissime. Probus de inaequalitate consuetudinis quaerit an quis hoc extulerit, quod et ipsum credo non parcissime factum. (*uide p. 35 adn. 2.*)

² q̄ an quis bus extulerit *N(= cod. Bobiens.)*.

77. (*deest*) EX CODICE AMBROSIANO L 22 (R. Sabbadini, 'Spogli Ambrosiani latini' in 'Studi ital. di filol. class. XI [1903] p. 174) f 25^v (ex commento in Donat. GL IV 374, 34 K): Probus addit „satis' et 'plus' abundanter etiam comparatiuo iungenda“, sed qui uult puram orationem scribere, positiuo iungat. (*p. 139.*)

VI. DE VERBO

A. DE TEMPORIBVS VERBORVM

78. (179) EX CODICE PARISINO 7491 saec. X f. 94 (GL IV praef. p. XXIII K): sed e contrario Probus adfirmat: tempus in se nullum omnino diremptum est, cum per se in se reuoluatur et sit perpetuum unitum et indiuiduum. sed quoniam actus noster ⁵ uariatur nec idem semper est, indiuidu o tempori per metonymiam partes temporis inponere solemus, non tempus diuidentes. ³ reuoluatur *cod.* ⁵ tempore *cod.*

LXIV. GELLIVS X 21

Quam ob causam M. Cicero his omnino uerbis 'nouissime' et 'uouissimus' obseruantissime uti uitarit. (*p. 141.*)

- LXV. (179) DIOMEDES GL I 335, 20 K: In primis tempus per se nullum diremptum est omnino, cum per se in se reuoluatur et

etenim aut agimus aut acturi sumus. hinc quod agimus in tres portiones diuidimus et dicimus instans praeteritum futurum. instans est, quod et praesens, cum quid maxime agimus; praeteritum, cum facere desinimus et actum perficimus; futurum, cum non adhuc agere instituimus, sed acturos nos promittimus.⁵ in praeterito duo tempora sunt artificialia. artes enim exigentibus fabulis et rebus actis saecula reperierunt. imperfectum scilicet, id est non iam perfectum, ut si aliquid agimus quod non perficientes agere desinimus, unde hoc tempus inchoatium dicitur; perfectum, hoc est cum facere desinimus¹⁰ et actum perficimus, quod alii absolutium, alii infinitium dicunt; plus quam autem perfectum, quod uetustissimum dicunt, cum non solum quid egimus, sed longa intercapedine inueterauerit nobis.

2 partiones *cod.* portiones libri *Diomed.* 7 seculi *cod.* 8 tam *cod.*

EX CODICE AMBROSIANO L 22 (R. Sabbadini, Studi ital. di filol. class. XI [1903] p. 178) f. 93^v (ex commento in Donat. GL IV 384, 10 K): licet autem uerbis tria tempora accidere dicuntur, non temporis natura diuisiones habet, ut

79. (*deest*)

sit perpetuo unitum. uerum quoniam differt noster actus nec semper idem est (aut enim facimus aut fecimus aut facturi sumus), hac ex re indiuiduo tempore inponimus partes temporis non tempus diuidentes sed actum nostrum diuersum significantes. uniuersa enim quae aguntur in tres diuiduntur⁵ portiones. diuerso igitur agendi tempore tempus ipsum quasi impertimur. trifariam tamen cuncta gerimus, ideoque tria tempora esse dicimus, instans perfectum futurum; instans, quod et praesens, cum adhuc agimus, praeteritum perfectum, cum iam fecerimus, futurum, cum acturos nos pollicemur. unum¹⁰ tamen ex his, praeteritum perfectum, diuiduum est. ex eo enim scinditur praeteritum imperfectum, item praeteritum plusquamperfectum. hoc pacto tria tempora praeterita uidentur esse, quoniam omnium quae egimus triplici modo differentiam reperimus. praeteritum enim imperfectum est quidem praeter-¹⁵ itum, non tamen perfectum, cum quasi praeterisse tempus adfirmamus; alioquin coepimus nec perfecimus, quasi legebam et scribebam et similia. 'in' enim praepositio plerumque derogatiua, non nunquam adiectiua, ut in aliis patebit; quae addita actui plerumque derogat, non addita ad finem per-²⁰ ductum significat. perfectum etenim tempus, cum tempus quo egimus eo quod egimus finitum est. item praeteritum plusquamperfectum, cum tempus iam pridem exactum demonstramus 1 differt *B* (= *Paris.* 7493) differet *M*(*onac.*) diferet *A* (= *Paris.* 7494) uariatur *cod.* *Paris.* 7491 (*uide fr.* 78) refert *cod.* *Ambrosianus* L 22 (*uide fr.* 79) || perpetuum unitum *cod.* *Paris.* 7491 perpetuum initium *cod.* *Ambrosianus* L 22 7 impertimus *M* 13 facto *ABM* 14 quo omnium quae *B* quo nimium quae *AM* 15 imperfectum est id est praeteritum *ABM* 21 quod egimus eo *AM* quo egimus et *B*.

apud Probum lectum sit: tempus nullum per se direptum omnino est, cum per se in se reuoluatur et sit perpetuum initium. Verum quoniam differt noster actus nec semper idem est, aut enim facimus aut fecimus aut facturi sumus, hac ex
5 re indiuiduo tempori partes inponimus temporis, tempus non diuidentes et actum nostrum diuersum significantes. Uniuersa enim (quae) agimus procul dubio in tres diuiduntur portiones; diuerso igitur agendi tempore tempus ipsud diuidimus; ergo abusive operum gratia tempora tria dicuntur, quae aut per-
10 ficiuntur aut perfecta sunt aut perficienda exspectantur. Inde tempora dicuntur spatia, in quibus opera aguntur.

3 differt] refert *cod.* 4 hac ex re indiuiduo tempori *scripsi*, hac in re ex diuiduo tempore *cod.* 7 quae *suppleui*.

80. (*deest*)

f. 94: SED PRAETERITI TEMPORIS DIFFERENTIAE SVNT TRES IMPERFECTA reliqua (*Donat. 384, II*). Probus ait: ex praeterito perfecto distinguitur imperfectum id est praeteritum (non) tam(en) perfectum, (cum) quasi praeterisse tempus adfirmamus, cum aliquid coepimus nec perficimus quasi legebam. imperfecta autem ideo dicitur quia non actus sui deficit prius quam iam praesens adfuerit; non sic perfecta imperfectum est, quod statim dimittimus, (plus quam) perfectum, quod dudum dimisimus et ideo dicitur, quia quasi
10 uetustissima esse uidetur.

4 non tamen *suppl. Sabbadini* cum quasi *scripsi secundum Diomedis codices*, quam *cod.* quom *Sabbadini* 5 perficimus *sic Diom. codd.* perficimus *cod.* 8 plus quam *suppleui* 9 dudum dimisimus *scripsi* dubium dimittimus *cod.*

81. (STEVP
p. 198)

PRISCIANVS GL II 445, 21 K: nos quoque in praeterito perfecto, quod pro παρακειμένον id est paulo ante perfecto, et

quo quid egimus. hoc enim distat a perfecto, quod superioris temporis recens uideri potest actus, sequentis longa intercapedo. id enim Graeci *ὑπερσυντελικόν* appellant quasi *ὑπὲρ τὸν συντελοῦντα χρόνον*, quod nos praeteritum plusquamperfectum dicimus. at uero tempus perfectum apud nos pro
5 ἀορίστῳ καὶ παρακειμένῳ ualet. ratione igitur statuta sunt actus nostri tempora, instans quod et praesens, cum quid maxime agimus; praeteritum imperfectum, si quod agimus non perficimus et agere desinimus, unde nonnulli inchoatium
10 tempus appellauerunt; perfectum, cum actum perficimus et facere desinimus; plusquamperfectum, (cum) quod egimus tempore inueterauerit; futurum, cum nondum agere instituimus, uerum acturos repromittimus.

1 id enim *B* ita enim *AM* 5 at *Keil* id *ABM* 6 statuta *B* statu *A* stata *M* 7 cum quidquid *M* cum quid quod *AB* 9 desinemus *ABM* 11 cum *om. ABM* *add. ed. uet.* || egimus *B* agimus *AM* 12 agere *AM* facere *B*.

LXVI.

PRISCIAN. GL II 405, 21 K: Tempus accidit uerbo praesens praeteritum et futurum. quamuis enim naturaliter instabili uoluitur motu et pars eius iam praeteriit, pars sequitur, tamen

pro ἀορίστον teste Probo habemus — nam amaui *πεφίληκα καὶ ἐφίλησα* significat, similiter feci *πεποίηκα καὶ ἐποίησα*, uidi *ἑώρακα καὶ εἶδον* et sic omnia cetera —.

ad ordinationem nostrorum diuersa gestorum tempora quoque diuidimus. unde iure praeteritum in tres differentias partimur. nihil enim certius, ut dictum est, ad notitiam nostram potest uenire, quam gesta per diuersum temporis spatium praeteriti. facile enim dinoscitur, utrum multo ante an nuper sint facta⁵ an coeperint quidem, necdum tamen sint perfecta. itaque quod accidit ipsis rebus quas agimus, nomen temporis ipsi imponimus 'praeteritum imperfectum' tempus nominantes, in quo res aliqua coepit geri necdum tamen est perfecta, 'praeteritum' uero 'perfectum', in quo res perfecta monstratur 'praeteritum¹⁰ plusquamperfectum', in quo iam pridem res perfecta ostenditur. instans autem indiuiduum est, quod uix stare potest. unde merito a quibusdam 'instans' imperfectum nominatur. nisi enim sit imperfectum, in eo adhuc esse actus intellegi non potest. futurum quoque cum incertum sit, ut ostendimus, et infinitum,¹⁵ utrum paulo post an multo erit, non potuit discretis quibusdam finibus declinationis uti. itaque una uoce contentum fuit.

GELLIVS VI 9, 13: Quoniam Graeci in quadam specie praeteriti temporis, quod *παρακείμενον* appellant, secundam uerbi litteram in e plerumque uertunt, ut *γράφω γέγραφα*, *ποιῶ πεποίηκα*, *λαλῶ λελάληκα*, *κρατῶ κερράτηκα*, *λοῦω λέλουκα*, sic igitur mordeo memordi, posco peposci, tendo tetendi, tango tetigi, pungo pepugi, curro cecurri, tollo tetuli, spondeo spepondi facit. Sic. M. Tullius (*fr. 14 p. 1060 Or.*²) et C. Caesar (*II p. 158 Di.*) mordeo memordi, pungo pepugi, spondeo spepondi dixerunt. (*cf. fragm. 81 et pag. 119.*)

LXVII.

² sed'm (*i. e. secundum*) *Parisin.* 8 sic— spepondi] *post spepondi om., sed in mg. add. V = Vatic.*

PRISCIAN. GL II 415, 23 K: Sciendum, quod Romani praeterito perfecto non solum in re modo completa utuntur, in quo uim habent eius qui apud Graecos *παρακείμενος* uocatur, quem Stoici *τέλειον ἐνεστώτα* nominauerunt, sed etiam pro ἀορίστον accipitur, quod tempus tam modo perfectam rem quam multo ante significare potest. sed sicut apud illos infinitum tempus adiectione *τοῦ ἄσπι* aduerbii τὸν παρακείμενον id est adiacens tempus, *τοῦ δὲ πάλαι* τὸν ὑπερσυντελειῶν id est plusquamperfectum significat, sic apud nos hoc (id est praeteritum perfectum) potest et modo et multo ante intellegi perfectum, et apud auctores hoc exemplis comprobatur. Euauder enim apud Vergilium in VIII (340) de matre sua dicit:

LXVIII.

cecinit quae prima futuros
Aeneadas magnos et nobile Pallanteum;

B. DE SIGNIFICATIONIBVS SIVE GENERIBVS VERBORVM

82. (STEVP
p. 178) EX CODICE PARISINO 7491 f. 93 (GL IV praef. p. XXIII K):
uel secundum Probum actiua ea sunt quae dumtaxat (actum
nostrum significant), cum alio agente sit qui patitur, ut accuso
accusas. extrinsecus enim exspectat patientem. sic passiuia sunt,
2 actum nostrum significant *ex Diomede suppleuit Keil*

'cecinit' dixit pro 'cecinerat', multo enim ante illam cecinisse
intellegit. et ipse poeta ex sua persona (*Aen. I 1*):

Troiae qui primus ab oris

Italiam fato profugus Lauinaque uenit

5 Litora,

'uenit' posuit pro 'uenerat'; hic enim quoque multo ante in-
tellegit uenisse Aenean ad Italiam. ergo proprie si quis con-
templetur uim praeteriti perfecti, non aliam iudicet hoc habere
quam apud Graecos illud quod ἀόριστον uocant. hoc autem
10 differt a plusquamperfecto, quod illud per se prolatum non
eget aduerbio 'pridem' quod habet in se naturaliter, nisi si
uelimus explanandae quantitatis causa temporis addere, ante
quot dies uel annos, nec licet illi 'modo' uel 'nuper' aduerbia
adiungere, praeteritum uero perfectum ad manifestandam signi-
15 ficationem eget uel 'modo' uel 'pridem' aduerbiis. (*cf. fr. 81.*)

11 habet hoc in *BDHGLK* || nisi si uelimus *H m. 2.* nisi uelimus *RDH*
13 modo nec nuper *B.*

- LXIX. DIOMEDES GL I 336, 32 K: Passiua est (significatio), cum alio
patiente penes alium sit administratio, id est cum patientiam
nostram cum alterius actu significat, ut laudo. haec ita or
syllaba terminatur ut recipere possit actiuam significationem
amissa r littera, ut laudo. (*cf. fr. 82.*)

- LXX. DIOMEDES GL I 336, 25 K: Actiua significatio est, cum alio
agente sit qui patiatur, id est cum actum nostrum cum alterius
patientia significat, ut laudo. haec ita o littera terminatur, ut
recipere possit etiam passiuam significationem adiecta r littera.
itaque cum utraque persona constet in declinatione uerbi, ut
tam adficere quam adfici queat, proprie dicitur actiuum itemque
passiuum. (*cf. fr. 82.*)

- LXXI. DIOMEDES GL I 337, 4 K: Neutra est quae specie actiuae
enuntiationis o littera cluditur, sed r litteram numquam recipit
et ob id passiuam formam non potest exprimere. ubi enim
uis patiendi non est, ex actiua declinatione locum declinatio
passiua non habet. item si alio patiente sub actiua specie
penes alium non sit administratio, similiter neutra dicimus.
alterutrum itaque uniformiter significat agentem uel patientem;
agentem, ut facio ambulo curro; patientem, ut ardeo ueneo
uapulo. ex hac quoque forma sunt et illa uerba, in quibus nec
agentis nec patientis significatio plene dinoscitur nec effectus
ostenditur, ut sedeo sudo dormio iaceo sto algeo sitio esurio.
nescis enim agat quis an patiatur. (*cf. fr. 82.*)

cum alio patiente penes alium sit administratio, ut accusor accusaris. exspectat enim extrinsecus agentem. neutra sunt quae o littera terminantur, sed secundum Probum neutrum in nomine, neutrale in uerbo rectius dicimus. (cf. *Pompeius GL V 229, 22 sq. K.*)

CONSENTIUS GL V 366, 16 K: quaedam talia sunt, ut 83. (STEVEP patientia uel ex uoluntate uel contra uoluntatem euenisse p. 180) uideatur: ex uoluntate, ut doceor ditor; contra uoluntatem, ut uror secor. quaedam uero talia sunt, ut neutrum horum, sicut Probus uir doctissimus adnotat, admittant, ut est algeo aestuo. 'neque enim' inquit 'Latine dicitur, uolens aut inuitus quis aestuat aut alget, cum hoc ex necessitate pro qualitate temporis euenire uideatur'. (cf. *Fridericus Goetting, De Flavio Capro Consentii fonte, diss. Königsb. 1899 p. 20 sqq.*)

POMPEIUS GL V 259, 37 K: habes hoc in Probo. falsum 84. (181) est, dicit, quod dicunt uerbum deponens esse ab eo, quod non deponat r litteram, quasi κατά αντίφασιν, quo modo dicimus Parcas ab eo quod non parcant, quo modo dicimus lucum ab eo quod non luceat: sic et deponens. falsum est. nam incipies et commune uerbum deponens dicere: nam et commune uerbum r litteram non deponit. ergo deponens dictum est re uera ab eo quod deponat unum participium quod in dus exit. (p. 147; cf. *GL IV praef. p. XXIII K.*)

DIOMEDES GL I 337, 16 K: Communis est (significatio), quae LXXII. tam actiuam quam passiuam significationem in se habet. haec ita r littera terminatur, ut eam non possit amittere, quemadmodum et deponens, ut osculor, criminor, amplector. dicimus enim osculor te et osculor a te, similiter et cetera. communia autem dicimus, ut in nominibus quae sub una specie genera diuersa admittunt, ita in uerbis quae sub passiuam declinationem dumtaxat diuersi actus significationem exprimunt. (p. 144 sqq.)
6 autem BM enim A.

GELLIUS XV 13

LXXIII.

De uerbis inopinatis, quae utroqueuersum dicuntur et a grammaticis 'communis' uocantur. (p. 144.)

DIOMEDES GL I 337, 30 K: placuit itaque aliis ea deponentia LXXIV. dici, quod una significatione deposita a communi separentur. (p. 147.)

DIOMEDES GL I 338, 17 K: Finitiuus modus est cum quasi LXXV. (178) definita et simplici utimur expositione, ipsa dictione per se commendantes sensum sine alterius diuersae complexu, ut accuso accusabam, identidem per omnia tempora, quod in subiunctiuo parum est. subiunctiuus enim dictus est, quoniam necesse est ut alius sermo suggeratur quo superior patefiat, hoc modo: 'cum dicam' 'cum dixerim' 'cum dixerō'. procul dubio necdum hic finitur sermo, finietur hoc modo: 'cum dixerō uenies', 'cum

85. (STEVF EX CODICE PARISINO 7491 saec. X f. 90 (Gramm. Lat. ed. p. 178) Keil, praef. uol. IV. p. XXII):

qualitatem autem in modis bipertitam esse Probus adfirmat dicens 'qualitas uerborum aut finita aut infinita est. finitiua uerbi qualitas est cum quasi definitiua et simplici utimur expositione ipsa distinctione per se sine alterius complexu, ut accuso, as, at. infinitiua sane qualitas est in qua haec uniuersa confusa sunt, ut legere.

86. ANECD. HELV. ed. H. Hagen (Gramm. Lat. ed. Keil, Suppl.) p. CLI:

Vtrum potest infinitiuus modus pro indicatiuo esse? Potest et pro praeterito imperfecto indicatiui, ut Probus ait: In hac qualitate plerumque ueteres praecipue praecipue historiarum scriptores imperfecta tempora indicatiui significant, quale est apud Sallustium (*Iug. 6*): 'hic ubi primum adoleuit, non se luxui neque inertiae corrumpendum dedit, sed, ut mos gentis illius est, iaculari equitare cursu cum aequalibus certare, et cum omnis gloria anteiret. omnibus carus esse', pro eo quod est: ut mos gentis illius est, iaculabatur equitabat, cursu cum aequalibus certabat, et cum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus erat.

fecero aspicias' et similia. quod in modo finitiuo non desideratur. idem a quibusdam indicatiuus appellatur, quo indicamus; ab aliis pronuntiatuus, quo pronuntiamus. (*cf. frgm. 85.*)
3 pronuntiantibus *ABM*.

- LXXVI. DIOMEDES GL I 340, 34 K: Infinitiuus qui et perpetuus numeris et personis, ideo dictus infinitiuus ex eo, quod parum definitas habet personas et numeros. (*cf. frgm. 85.*)

